74-33-F-40

E 11

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 F
40

X
VII
11

VII

SANCTI EVSEBII

VERCELLENSIS EPISCOPI

ET MARTYRIS

Eiusq; in Episcopatu Successorum

VITA ET RES GESTÆ

A Io: Stephano Ferrerio Episc. Vercellensi collectæ.

AD

CLEMENTEM VIII.

PONT. OPT. MAX.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Apud Aloysium Zannettum. MDCII.

Superiorum Permissu.

Imprimatur, si placet R. P. Mag. Sac. Pal.

B. Gypsius Vicesgerens.

Imprimatur.

F. Angelus Baronius Venetus, Magister & Soc. Reuerendiss. P. M. Sacri Palatij Ord. Præd.



SANCTISSIMO AC BEATISSIMO
PATRI ET DOMINO NOSTRO

CLEMENTI VIII.
PONTIFICI MAXIMO.

Io. Stephanus Ferrerius Episcopus Vercellensis sempiternam felicitatem.

SANCTI EVSEBII Vercellarum Episcopi res gestas aliquo meo studio,& labore collectas, offero humillime tibi,Beatissime Pater.debitum profectò munusculum, siue catholicæ religionis ratio habenda sit , cuius ipse caput in terris es , ille acerrimus propugnator fuit;siue mecum ipse reputem promerita & plurima,& maxima istius in me beneuolentiæ singularis, ob quæ iam pridem sentio me, meaq; omnia tanto Pa-

tri, ac Principi addicta esse. Accedit illud beneficium clementiæ tuæ mihi iure maximum, quod anniuersariam eiusdem S. Eusebij quæ intra limites Vercellen. diœceseos vel vicinarum tantummodo recurrebat, nunc publicis vniuersæ catholicæ Ecclesiæ officijs celebrari meis humillimis precibus annuisti. Vt iam ipsa Vercellen. diœcesis tibi tota debere velit, atq; hic mecum lætissimè gratias agat. Ego verò quoniã satis isti liberalitati respõdere non possum, hoc quicquid est grati animi indicium sic offero, vt Eusebiũ ipsum assiduè precer adesse è Cælo semper votis optimis consilijsq. tuis. Vale Beatissime Pater; & qui te difficillimis hisce temporibus Ecclesiæ proficientem præfecit, idem nobis diù incolumen profuturum conseruet.

ECCLESIAE CATHOLICAE NOTA
SVCCESSIO EPISCOPORVM.

S. Augustinus lib. ij. contra Faustum Manichæum cap. 2. relatus in can. Palam. ij. distinct.

Auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum vsq; ad hodiernum diem, succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur, &c.

Tertullianus libr. de præscript. aduersus hæreses.

Edant ergo Origines Ecclesiarum suarum, euoluant Ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, &c.

Carolus Card. S. Praxedis in Conc. Prouinc. Mediol. part. 3. const. de Episcopis.

In atrio Episcopos ordine pingi curet qui præcesserunt, si minus omnes, eos saltem, qui sanctitatis, & doctrinæ, aut rerum Episcopalium gestarum laude clari sunt, &c.

IO. STEPHANVS FERRERIVS

Dei sanctaque Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Vercellarum, Clero Populoq; Vrbis, & dioec. suæ Salutem in Domino.

QVOD à multo iam tempore desiderium nos tenuit præclaras actiones tum sanctissimi Martyris Eusebij; tum aliorum eiusdem Vrbis Præsulum ad commune exemplum, & ipsorum memoriam colligendi, eius deniq; studij, tametsi maior prima opinione labor fuit, Dei tamen aspirante gratia non pœnitendus, (vt nobis quidem videtur) constitit fructus. Etenim vt de Eusebio prius dicam, quæ in plurimis vtriusque linguæ scriptoribus dispersa legebantur antiquissimisq. monumentis, in vnum quasi corpus collecta sunt: & in tenebris vetustatis varijs obstructæ difficultatibus, titubãti suspensoq. vestigio sic incessimus, vt si minus quò aspirabamus, aliquò tamen peruenisse videamur. In quo sanè magna gratia habenda est viro æui nostri sapientissimo,& Illustrissimo Cardinali Cæsari Baronio, cuius Annales Mundi voce veritatisq. testimonio celeberrimi, facem amplissimam temporum superiorum tenebris prætulerunt. Eius enim in plurimis ductum secuti, cæca rerum & impedita,feliciter satis, & inoffenso pede videmur nobis euasisse. Porrò in testimonijs aliorum scriptorum afferendis, illud potius secuti sumus, vt ipsorummet verba redderentur, quam vt studio sermonis ornati quicquam immutàremus. Vt propterea nemini mirum esse debeat, si qua forte styli deprehendatur inæqualitas,quod euitari non potuit, vbi minor fuit eloquentiæ cura quam fidei: & cum testimonia grauissima,& clarissima essent, iure timendum erat, ne soli lucem, veritati pondus afferre velle videremur. Cæterum cum triennij labor hic noster

Digitized by Google

ſter fuerit, non ſine diuino ſane nutu factum putamus, vt hoc demum anno lucem videre poſſet, quo primum Clemente Optimo ſanctiſſimoq; Mũdi Principe noſtris precibus anuẽte, impetratum eſt vt publicis Catholicæ Eccleſiæ officijs memoria eiuſdem Euſebij celebraretur. Seriem porrò cęterorum Epiſcoporũ Vercellenſiũ adiunximus, tũ vt antiquitas Eccleſiæ conſtaret, tũ vt nomina eorũ & exẽpla viuerent, ſi qua nobis reliqua fecit iniuria temporũ ſuperiorũ. Quæ cauſa eſt, cur veterũ quidẽ omnia fragmenta collegerimus, recentiorum autẽ præcipuas tãtum actiones: vt habeant poſteri quos imitentur, & maiorum monumenta nouis acceſſionibus ad Dei gloriam cumulata velint. Vtinam vero diligenter aſſeruata eſſent acta ſingulorum, quæ vt non dubitamus in Eccleſia tam inſigni multa & præclara acciditſſe, ita dolemus pro eo ac par eſt, obliuione perijſſe. Veruntamen quicquid reliquum fecit ætas, quod ſparſim multa opera reperire potuimus, collectum hic damus, non deſperantes fore vt plura adhuc inueniat dies, vnde lux oboriatur maior ſeriei texendæ, quam alicubi multorum annorum ſpatio interruptam, in certis nominibus vtcunque continuauimus. Et nobis quidem magno ad id adiumento fuit circa antiquiores pictura illa peruetus Baſilicę Vercellen. quæ octingentorum fermè annorum cenſeri facile poſſit. ea autem cum 40. contineat Epiſcopos, quorum aliqui ſancti inſcribuntur, aliorum certa adhuc nomina leguntur, cæteris æuo deletis, hoc ſecuriores nos reddidit, quod grauiſſimæ auctoritatis iure cenſeatur, & ab ijs quorum hiſtoriæ extant, nuſquam deflectat. Sic Deus faxit vt omnis exempli laudes quas certo credimus in magnis noſtræ Eccleſiæ viris effloruiſſe, redeant in omnis æui famam, &, quod in primis optandum eſt, Vercellenſium tum Præſulum, tum Ciuium emolumentum. Hoc vero precum veſtrarum ope accedente ſperamus votis noſtris concedendum à diuina benignitate, noſque ipſos, id quod ex animo expetimus, nouis virtutis exprimendę ſtimulis excitatum iri: vt quo labores noſtri ab initio conſiliaq; ſpectabant, huc nos demum diuino beneficio peruenisſe communi Domino gratulari poſſimus.

SCRI-

Scriptores tum Græci tum Latini, è quorum Monumentis hæc vita S. Euſebij excerpta eſt.

EX GRÆCIS.

S. ATHANASIVS in epiſtola ad Monachos, in Apologia ad Conſtantium, & in libro de fuga ſua.

S. BASILIVS epiſtola 8.

S. EPIPHANIVS Salaminæ Cypri Epiſcopus in lib. primo contra hæreticos Cap. 30.

THEODORETVS Hiſtoriæ Eccleſiaſt. libro 2. cap. 15.

SOCRATES Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 29. & lib. 3. cap. 4. & 7.

SOZOMENVS Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 3. cap. ij. & 12. lib. 3. cap. 14.

EX LATINIS.

S. HILARIVS Pictauienſis in libro ad Conſtantium Imp.

S. AMBROSIVS in epiſtola ad Vercellen. 82. *& ſermone de S. Euſebio* 69.

S. HIERONYMVS De ſcriptoribus Eccleſiaſticis, contra Lucifer. contra Vigilantium, & in Chronicis,

S. MAXIMVS Taurinenſis

RVFFINVS

SVLPITIVS Seuerus Hiſtoriæ ſacræ lib. 2.

FRECVLPHVS Epiſcopus Lexouien. in Chron. Tomo 2.

HONORIVS Auguſtodunenſis in libro de Eccleſiaſt. ſcript.

ABBAS Vſpergenſis

VINCENTIVS Beluacen. in ſpeculo Hiſt.

OTHO Epiſcopus Friſingenſis lib. 4. Chron.

MARTINVS Polonus in Chron.

S. ANTONINVS Archiepiſcopus Flor. p. 2. Hiſt. tit. 9. & 10.

MAROLVS lib. 4. cap. 7.

BAPTISTA Campofulgoſius
VSVARDVS in Martyrologio
BONINIVS ſcriptor Mediolanen. ex antiquis Tabulis,
RAPHAEL Volaterranus in Comment. Vrb. lib. 16.
SIXTVS Senen. in libro 4. Bibliothecæ
CAROLVS Sigonius libro 6. de Imperio occidentali
GALESINIVS in martyrologio,
Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Card. BARONIVS annotat. in martyrologium, & 3. & 4. Annalium Tomis,
Ex fragmentis S. Hilarij ex Pithoei bibliotheca erutis à Nicolao Fabro ac nuper in lucem editis.
Ex libro veteri manuſcripto Hiſtoriarum de Rebus inter PP. Liberium, & Felicem geſtis,
Ex libro officij Euſebiani
Ex actis denique antiquiſſimiſq; Eccl. Vercell. Tabulis
Alij quoque recentiores de Euſebio ſcripſerunt, quos conſulto omiſimus.

SCRIPTORES ET MONVMENTA, vnde hęc Epiſcoporum ſeries deſumpta eſt.

Chron. REGINONIS Abbatis Prumien. de Germ. geſtis
Chron. HERMANNI Contracti de ſex mundi ætatibus.
Chron. SIGIBERTI Gemblacen.
Chron. RADEVICI de geſtis Federici primi,
Chron. INCERTI Auctoris appellat. fragm. Hiſtoricum M. Alberti Argentin. Chronico præfixum,
Chron. HIRSAVGEN. Ioannis Trithemij
Idem Trithemius de viris Illuſtribus
Idem de ſcriptoribus Eccleſiaſticis

Chron. IOANNIS Naucleri
Hist. BERNARDINI Coiri Mediolan.
HONVPHRIVS Panuinus de vit. Pont. & Card.
SIGONIVS de Imp. occidentali
Idem de regno Italiæ,
Idem de Episcopis Bononiensibus.
ALPHONSVS Ciacconius de Pontt. & Cardd. vitis,
Eques Petramelara de Pontt. & Cardd. vitis,
Ex Annalib. Illustriss. & Reuerendiss. Card. BARONII
Ex Concilijs Generalibus in lucem editis
Ex epistolis Decretalibus diuersorũ Pontif. in lucem editis

Ex manuscriptis præcipue

Ex Regestis diuersorum Pontificum quæ in Bibliotheca Vaticana asseruantur
Ex alijs præterea manuscriptis eiusdem Bibliothecę
Ex libris Cameræ Apostolicæ,
Ex Regestis bullarum Cancell. Apostolicæ
Ex Propositionibus Consistorialibus
Ex Diarijs diuersorum Ceremoniarum præfectorum

Ex antiquis Tabulis.

Ecclesiæ Vercellen. tum Episcopatus, tum Canonicorum
Ciuitatis Vercellen.
Bugellæ
Capituli S. Stephani Bugellæ,
Ecclesiæ Metrop. Med. tum Archiep. tum Canonicorum
Ecclesiæ Asten.
Monasteriorum Regularium, & aliarum Ecclesiarum Diœcesis Vercellen.

VITA S. EVSEBII

EPISCOPI VERCELLENSIS ET MARTYRIS.

SANCTI EVSEBII Episcopi Vercellensis & Martyris vita, in qua & pietas, & Religio, & diuinæ gloriæ studium perpetuo eluxit, affert ad nominis, populique Catholici splendorem exempla virtutum mirabilium; quarum tanta est amplitudo, vt cum magnum dicendi argumentum omnibus præbeat, tum certè in hominum piorum mentibus ardens excitet præclaræ imitationis desiderium. & vero huius Sanctissimi Episcopi, per quē defensa est, atque acerrime propugnata Catholica Fides, actiones, pugnæ, ac dimicationes summæ ille quidem extiterunt; eamq; ob causam luculentis tam Latinorum, quam Græcorum auctorum monimentis ad sempiternam memoriam proditæ, nobis animum spiritumque addunt ad earum commemorationem, quam ex illorum testimonijs breui contexui mus. Rem igitur Christianam, vt hinc ordiamur, infensissimo animo vbique Terrarum oppugnabāt immanes duo Ecclesiæ hostes, Diocletianus, & Maximianus; quo tempore Eusebij Pater, fidei causa vinctus ex Africa Romam ducitur: sed in itinere à satellitibus ministrisque impietatis inhumanius tractatus, ex hac vita cessit, præclara cū testificatione pietatis suę, ex eo parente, viro, fide generisquè claritate nobilissimo, matreque etiam religiosissima femina nomine Restituta, Eusebius in Sardinia natus, post illius obitum, ab hac Romam ducitur, Eusebioque Pontifici traditur; à quo primum diuinorū mysteriorum disciplinis instructus, Sacro Paschę solemni die & baptismum, & nomen accepit. Res porro, dum baptizatur, diuinitus facta est, quòd manibus eum Angelus in sacro fonte sustinere visus est, eaque res cum magnam spectantibus admira-

Eusebij pater dum Romam ducitur inhumanius tractatus moritur

Ex *Antiquiss. Ecclesiæ Tabulis*

Eusebius Romam à matre ducitur.

Ex *Tabulis S. Ant. par. 2. tit. 10, Vinc. Bell. in spec. Ill. Baron. ann. 311.*

Baptizatur ab Eusebio Pontifice Angelis ministrātibus. ex ijsdem.

mirationem excitauit, tum argumento fuit sanctitatis, quę in omni deinceps illius vita maxime enituit. Nã post Baptismũ totus Christo Domino deditus, illiusque vestigia ingressus, cælestem viuendi disciplinam imitatus est in terris. Virginalem enim castitatẽ perpetuo coluit, quã Deus etiã mirificè testatã esse voluit, vt postea dicemus; cõmoda iucunditatẽq; vitę communis contempsit, res omnes humanas despexit, & Religiosarum omnium virtutum officia amplexus, in ijs excubauit, & pernoctauit curis, vt diuinæ gloriæ seruiret. Ea omni laude florentissimus vt ætate procedebat, ita Religionis, & liberalium disciplinarum, sacrarumque literarum progressionem persecutus; cum gratus fuit Eusebio Romano Pontifici a quo baptizatus fuerat, tum maxime carus Melchiadi; qui in Pontificatu succedens, triennio spectatam, cognitamque habuit illius ardentem Fidei constantiam, charitatem, & sapientiam plane diuinam. Siluester igitur Pontifex, qui Melchiadi successerat, tam admirandæ virtutis nomine illustrem Eusebium, Lectorum ordini adscripsit, ac deinceps ad ceteros gradus prouexit, vsq; dum Marcus eum Presbyterum ordinauit. Quamobrem diu Romæ commoratus, cum mentis aciem in sempiternis bonis defixam haberet, á rerum humanarum, quę amplissimę putantur, curis auersus, cælestia atque diuina præcepta quæ verbis explicare consueuerat, operibus expressit clarissimis, & sempiterna gloria dignis. Hic mirificè splendescit benignitas Dei Optimi Maximi, qui præter alios viros sanctissimos, eosque innumerabiles, & Latinos & Græcos, doctrinæ catholicæ æternos testes acerrimosque defensores, Eusebium etiam quasi diuinis telis vnũ maxime instruxit, qui præstantissimę Fidei nostrę seminarium diuinitus datũ, necessario tempore, dimicatione constantissima defenderet. Iam tunc quidam, non homo, sed monstrum atque prodigium, pestiferumq; antiqui serpentis instrumentum Arius, impiæ sententiæ Princeps & auctor, pugnam nefariam omnique scelere penitus imbutam, contra vnigenitum Dei filium Christum Iesum moliri cæperat. Interea vero dũ istius perditissimi hominis à diuinæ Sapientiæ luce auersi cau, sa, sacræ Nicenæ synodi decretis, summa Patrum consensione

dam-

damnatur,Romæ Euſebius non ſolum Silueſtro,ſed deinceps Marco Pontificibus tam diù adiumento eſſe pergit, quoad Iulio, qui poſt Marci obitum Pontificatum inierat, Vercellas eo ipſo tempore miſſus eſt, quo hæreſis Arianæ faces mortuo Conſtantino, Conſtantius filius nefariæ factionis furore inflā matus, in omni Italia accendere conabatur. Erat porrò cauſa Ariana iam pridem Sanctiſsimorum Virorum argumentis euicta, Niceni aliorumque Conciliorum decretis iugulata,diuinis iudicijs redarguta,& omniū recte ſentientium ſtudio abiecta; ſed Conſtantius eo dementiæ venit,vt omni ſumma Auguſtali ope illam excitare niteretur . Eam ob cauſam Sirmij & alijs pleriſque in locis conuentum Arianorum habuit . Vbique igitur terrarum,atque adeo in omni penæ Italia,cum ſcelerata ea hæreſis exardeſceret, diuino conſilio factum eſt,vt Vercellarum Epiſcopus a Iulio Pontifice Euſebius conſecratus, tam neceſſario tempore ad Eccleſiam fidei curæque ſuæ traditam veniret,ſumma omnium Catholicorū hominū gratulatione. Quo vero potiſsimum anno id acciderit,nobis quidem incertum eſt:etſi autem non nulli id referāt ad poſteriora Conſtātii tempora quibus ſolus regnauit, nēpe in annum Chriſti 350.tamen hoc facile refellitur:nam cum in Concilio Alexandrino Euſebius inter cæteros,nihil in Sardicenſi Synodo contra Nicenam profeſsionis Fidei formam immutatum eſse teſtatus ſit,quo modo tā aſseuerāter dicere id potuiſſet,niſi Sardicenſi Synodo quæ anno 347. celebrata eſt,interfuiſſet? quamobrem anno 340.circiter fuiſſe cōſecratum,veriſimile eſt.ſed actiones ipſius proſequamur. Is igitur vbi tantum tamque graue munus ſuſcepit, gregi commiſſo, & verbis & exemplis iter commoſtrauit ad cœlum: nam tot tantiſque virtutum ornamentis prę luxit, vt cum in eo Veri Epiſcopi exemplar intueri liceret,non modo Eccleſiæ Antiſtites & gregis Chriſtiani Paſtores & cuſtodes , ſed omnes alij hominum ordinum ætatumque homines,facile in eo haberent vnde exempla peterent,quibus ſe in omnem ſalutaris diſciplinæ vſum præclariſsime conformarent. immo vero vſque adeo ſanctè vixit,vt dum Miſſæ ſacrificium conficeret, in eius manibus miniſterium Angelorum appareret . Virginalis

A Iulio Romano Pōt. conſecratur Epiſcopus . *Ex Tabulis S.Hieron. de ſcript. Eccle.* S. *Anton. part. 2. tit. 10.*

Sacrificat miniſtranti bus Angelis

Ex Tabulis Vinc. Bell. in spec. Boninio.

nalis porrò vitæ, cuius ab ineunte ætate cultor fuit egregius, studia cum ardentissime suscepisset, nihil vnquam de ijs, ne remisit quidem ne dum amisit. Sathanæ astu, eius amore mulier quædam flagrabat, quæ ad illum præceps, cum irrũpere conaretur, ad cubiculum, valuis patentibus adituque aperto, pedem inferre nullo modo potuit. Metu igitur perculsa culpæque conscia, Episcopo è foribus egredienti criminis grauitatem confessa veniam impetrauit, sicque mæsta ac mærens abijt. In defensione autem Catholicæ Fidei, tam ardenti constantia fuit animique robore inuicto, vt quæcunque orthodoxæ Religioni profutura cerneret, ad excitatam Arianorum hæresim restinguendam, omnia in summo, teterrimoqe eorum dominatu gesserit, constantissima & cœlesti planè virtute. nec vero id Vercellis solum, verum vbique terrarum, ac præsertim in Liguria, atque adeo in cuncta Italia sollicitudinis studio præstitit, quo maximo potuit. At quo furore, qua dementia Ariani præcipites ruunt? quid non agunt? quid non attingunt? quid vbique gentium non machinantur, non modo contra Athanasium, quem Fidei Catholicæ defensorem fortissimum experiendo cognouerant, sed contra Eusebium, tamquam inuictum Ducem ad omne certamen egregie expeditum? Isti, non Arij nefariæ sententiæ autoris (qui impuro loco dissectis visceribus, ac disruptis, Iudæ instar, fœde miserrimeq; extinctus petulantissimæ linguæ pœnas dedit) dirum exitum perhorrescunt, non diuina iudicia pertimescunt. immo proiecta audacia sceleratoque conspiratione conantur, tum sacræ Nicenæ, Sardicensisque Synodi decreta euertere, tum Athanasium malè mulctare; & Eusebium præterea, summum præter ceteros illius patronum, & defensorem. itaque Constantis morte excitati & Constantij leuitate confisi, cum antea Sirmij Nicenæ fidei euersionem atque Athanasii damnationem acerbissimam moliti essent, tum in Gallia Arelate id ipsum tentare ausi sunt. Quare Liberius Pontifex Luciferum Episcopum, Pancratium præsbyterum, & Hilarium Diaconũ, ad Constantium Legatos, qui de cogendo Cõcilio ipsum interpellassent mittendos censuit. eo enim remedio imminentem aduersus

Miraculosũ castitatis præsidium. Ex Tabulis S. Ant. par. 2. tit. 10. Vinc. Bell. in spec. Boninio Marulo

vni-

vniuersam Ecclesiam Catholicam, ac præsertim in Occidentales Orthodoxos Episcopos, persecutionem anteuertere cogitabat, rogauitq; præcipue Eusebium, vt vna cum Legatis su sciperet Fidei patrocinium, his Pontificijs geminatis literis.

LIBERIVS EPISCOPVS DILECTISSIMO fratri Eusebio.

Literæ Liberij Pont. ad Eusebiũ. Ex Tabulis Eccles. Ill. Baron. ann. 354

ME, frater carissime, ad solatium vitæ præsentis erigit inuicta fides tua, qua secutus Euangeliorum præcepta nullo genere à consortio sedis Apostolicæ discrepasti. Quod credo non sine Dei impulsu, qui digno sibi in sacerdotio detinet, benevolentia complesse. Cum igitur post legationem Vincentius in illam ductus est simulationem, reliqui per Italiam Episcopi publica conuentione coacti fuissent sententijs Orientalium obedire, Deo procurante, Frater, & Coepiscopus noster Lucifer de Sardinia superuenit. Qui cum latebras causæ interioris cognouisset, & peruenisset ad eius conscientiam, sub occasione nominis Athanasij, hæreticos hæc velle tentare, pro deuotione fidei suæ, subire voluit iustum laborem: & ad comitatum religiosi principis pergere, vt tandem exposito ordine totius causa, impetraret, vt omnia, quæ in medium venerunt, in cœtu possent Sacerdotum Dei tractari. Itaque quia scio sanctum fidei tuæ calorem cum eius animo concordare, prudentiam tuam peto vt si, procurante Deo, habuerit te præsentem, per quoscunque potueris, sollicite excubare contendas: vt possitis vniuersa, quæ fides exigit Catholica, clementissimo Imperatori insinuare: vt tandem aliquando deposita animi indignatione, faciat quod & quieti nostræ & saluti suæ possit in omnibus conuenire. Ex superfluo autem credidi, ordinationem causæ totius honorificentiæ tuæ literis insinuare, cum supradictus frater meus, vel eius comites, in præsenti

possint

possint omnia relatione sua referre. Deus te incolumem custodiat, Domine frater carissime.

LIBERIVS EPISCOPVS DILECTISSIMO fratri Eusebio.

Literæ Liberij Pont. ad Eusebiũ. Ex Tabulis Eccles. Ill. Baron. ann. 364.

REMEANTE filio meo Callepio ad patriam suam, optimum credidi per hunc sanctitatem tuam salutare, domine frater carissime, orans Dei clementiam, vt sanus, atque hilaris literas meas accipias. Sane quia scio inuictum animum tuum fideliter agere quæ Deus præcepit; commendo tibi fratrem & Coepiscopum nostrum Luciferum, sed & carissimos filios meos, Pancratium Presbyterum, & Hilarium Diaconum, qui pro statu Ecclesiæ animo virili, & virtute Deifica, tempore tempestiuo pugnare aggressi sunt contra inimicos Ecclesiæ, quos Deus spiritu oris sui destruet. Scio enim feruentem spiritum Dei esse in te, vt simul cum ijsdem aggrediaris: vt fides quæ ab Apostolis tradita est Ecclesiæ Catholicæ, nullo modo irrumpi possit. Certe dignaris retinere, si leges publicæ absentem non condemnant, vt eorum consortio iungat se fides tua; & similis, vbi fuerit, adsit sanctitas tua: vno colloquio, vno consilio id agatis, quod Deo & Angelis eius placet, & Ecclesiæ Catholicę expedit. Pro hoc labore præmium cæleste, coronam immarcescibilem, hæreditatem regni Cælorum Christus Redemptor noster retribuat vobis. Salutamus omnes, qui tecum Deo fideliter seruiunt. Salutate omnem clerum, Deus te incolumem custodiat domine frater carissime.*

* Calepodio

* pugnare

Transfert se Eusebius in Gallias ad Imperatorem, iussu Liberii.

His igitur literis acceptis, Catholicæ fidei zelo flagrans Eusebius, qua erat erga Romanum Pontificem obedientia, ad ipsum Imperatorem cum Legatis in Galliam proficiscentibus transtulit se; vbique studio & actoritate qua potuit maxima

vsus,

vsus, eò Cæsarem flexit, vt quidquid ea legatione petebatur, denique impetrauerint, nempe vt Concilium celebraretur. Quod sequenti anno Mediolani collectum est, quibus de rebus certior factus Liberius, atque in primis de sedulo officio, quod in ea functione Eusebius impendisset, honorificas ad illum has literas dedit.

LIBERIVS EPISCOPVS DILECTISSIMO fratri Eusebio.

Literæ Liberij Pont. ad Eusebiũ. *Ex Tabulis Eccles. Ill. Baron. anno 354.*

SCIEBAM, Domine frater carissime, quod spiritu Dei feruens, in causa fidei, quæ nos potest domino commendare fratri, & Coepiscopo nostro Lucifero, & Pancratio compresbytero nostro, qui simul erat profectus cum filio meo Hilario Diacono, fida dignareris solatia exhibere, nec te posses ijs denegare, quos sciebas pro deuotione fidei suæ tantum laborem itineris suscepisse. Magnum itaque leuamen animus meus ex lectione literarum tuarum accepit: immo causam ipsam in melius proficere posse Deo fauente, quod fratres nostros deserere noluisti. Iam iamque confido. Labora itaque vt bonus miles, qui præmium æterni imperatoris expectas, & virtutem animi, qua te scio mundi ipsius illecebras contempsisse, aduersus eos, qui Ecclesiæ *quidem luce orbi sunt, præbere contende, habens vtpote contemptum vitæ istius. Veridicum te sacerdotem ostende, vt laborantibus vobis pro* Ecclesiæ *statu, Concilium possit celebrari, vt omnia, quæ in præiuditium fidei subtiliter è diuerso venientes machinati sunt, possint in melius reformari. Hunc laborem, quem egregia fides tua melius nouit, æterna præmia comitantur. Cui quemadmodum insistere debeamus, etiam si exhortatio frigesceret, ferues Spiritus sanctus, qui in te est, propter vnitatem sanctæ* Ecclesiæ, *per momenta animum tuum stimularet ad*

maiora ſolatia. Etiam ad fratrem & coEpiſcopum noſtrum Fortunianum, quem ſciebam neque perſonas hominum vereri, & futura magis præmia cogitare; literas erogauit, vt & ipſe pro ſinceritate pectoris, & pro fide, quam ſe ſcit etiam cum diſcrimine vitæ præſentis cuſtodiſſe, etiam nunc vobiſcum dignaretur excubare. quem quidem ſcio pro ſanctitate pectoris ſui indubitanter, & conſilio ſuo prudentiam veſtram firmare, ſi ita vobis placuerit, præſentiam ſuam in nullo dilectioni veſtræ negare. Deus te incolumem cuſtodiat Domine frater cariſſime. Atque hæc quidem ad Euſebium Pontifex. At Mediolani interim conuẽtus cogitur, diuerſo tamen Liberij, & Conſtantij conſilio; illius quidem vt ingẽti naufragio occurreret, quod Eccleſię Catholicæ immineret; huius vero, vt in vnum Catholicos omnes, quos poſſet, cõuocaret Epiſcopos, vt & ſic in locum vnũ includeret, vbi ipſe præſens, ad ſubſcribendum in Athanaſium, adhibita quoque vi, compelleret. quod cum Euſebius odoratus eſſet, ad Cõcilium non accedere ſatius duxit. quod quidem cum animaduerterent Ariani, miſerunt ad Euſebium Epiſcopos duos, quibus ad eum nomine Synodi has dederunt literas.

CONCILIVM MEDIOLANENSE

Euſebio fratri in Domino ſalutem.

Literæ Synodi Med. ad Euſebiũ. *Ex Tabulis Eccleſ. Ill.* Baron. *ann.* 355.

NON ignorat cariſſima nobis dilectio tua, quàm ſit pretioſum vinculum charitatis & pacis, domine cariſſime frater. Et quia hoc cuſtodire nos, qui Eccleſiæ Catholicæ præſumus, diuina domini præcepta docuerunt; ideo plenum ſanctitatis, & iuſtitiæ arbitrati ſumus, vt cariſſimos coEpiſcopos noſtros Euſtomium * *& Geminium, qui ad cõcilium conuenimus, vt ad dilectionem tuam pergerent, mitteremus, & omnia patienter, quæ aguntur, inſinua-*

* *Eudoxium*

rent,

rent & patefacerent; vt nobis coniuncta pariter fides tua atque concordia ea sequantur, quæ & Deo, & vnitati placeant, amplectantur. Itaque sinceriſſima prudentia tua quod ſpecialiter, & ſalubriter admonemus, audiat ſupradictos, & communicato pariter cum his conſilio, definiat, quod de nomine hæreticorum Marcelli & Photini, nec non & Athanaſij ſacrilegi totus propè definiuit orbis; ne non tam veritati, quam intentioni parere videaris. *Multa in litteris nos ſcribere oportuit. Eos enim ad te miſimus, qui, quod literis nunc neceſſe non fuit comprehendi, ipſi rectius proſequantur. Quod ſi alias, quàm optamus, charitas tua putauerit eſſe faciendum, ſcito iuxta Eccleſiaſticam diſciplinam id nos definituros, quod regula Euangelica iubet; nec nobis poſtea imputabis, qui infinitam patientiam retinentes fratres noſtros memoratos, ad te, vt venirent, deprecati ſumus.*

* contentioni

Ex hac quidem epiſtola animaduerti licet, quanta auctoritate prẽſtiterit S. Euſebius, quem etiam Catholicæ fidei hoſtes illis temporibus tantopere verebãtur, vt Legatos ad eum mittendos cenſuerint. Sed eorum tamen ſuaſiones ſanctũ virum a propoſito conſilio nihilominus non reuocarunt; immo Epiſcopis illis, quippe Arianis, adhæreſcere omnino recuſauit. quod cum intellexiſſet Conſtantius, hanc ad eum epiſtolam mittendam ſtatuit.

CONSTANTIVS VICTOR, AC TRIVMphator ſemper Auguſtus Euſebio Epiſcopo.

Epiſtola Conſtantij Imp. ad Euſebium. *Ex Tabulis Eccleſ. Ill. Baron. ann. 355.*

METIRI facile poſſe, rei magnitudine commonente, grauitatem tuam, omnibus ad meam diligentiam pertinentibus præferre me coram religione ſuperna, quod præcellit, & in meo animo præeminere, confido: tamen id prudentiæ tuæ documentis, etiam frequenter emiſſis, comper-

tum, cùm perſpicias id me agere noctibus ac diebus, quod ad venerabilem cultum proficere poſſe confido. Quid enim mihi gratius eſſe, aut vtilius, quam Deo animum deuouiſſe,
*facerem *vſque adeo, vt huiuſmodi ſtudio *facilitarem omnem ſententiam eſſe obnixam? Itaque Eccleſias venerabiles ex intimo mentis affectu ſemper intueor, earumque vnitatem omnibus ſalutarem cupio recuperare ac firmiter obtinere. Ob quam cauſam conuentum ſanctorum Epiſcoporum in Mediolanenſi placuit fieri ciuitate, eorum vel maxime qui alibi geſta poſſint facile reuelare. In diuerſis quippe pro-*
*cõtraria uincijs Epiſcoporum ſunt *contra coacta Concilia, ſed quid per ſingulos concordi vnanimitate decreuerunt prudentiſſimi Epiſcopi in Synodo Mediolanenſi, perſpicuè declaratum eſt. Denique venientes pauci de prouincijs ſingulis voluntate communi vnanimes pertulerunt, & iuxta veneration nem legi debitam firmauerunt. Quod ergo religioni fuerat conſentaneum, eorundem placito roboratum eſt, & ad ſanctitatem tuam quatuor de conſortio ſuo cenſuerunt eſſe mittendos, pariter commonentes, ſi id ſequi grauitatem tuam,*
*pertinet quod *ad vtilitatem Eccleſiæ, non abhorret: nos certè qui eſſe Dei famulos gloriamur, hortamur pariter, ac monemus, vt conſenſui fratrum tuorum adhærere non differas. Confidimus quippe, cum hoc fuerit factum, vnitate firmiſſima poſſe Eccleſias gratulari. Deus te ſemper tueatur multos annos, pater cariſſime, atque amantiſſime.*

Quibus perlectis literis Euſebius, tametſi ad Arianam coniurationem potius quam Epiſcoporum Catholicorum Concilium vocari ſe intelligebat, ne tamen videretur de Imperatoris perfidia ſuſpicari, his redditis ad eum literis quam primum ſe iturum promiſit.

EV-

EVSEBIVS CONSTANTIO IMPERA-
tori Augusto salutem.

Eusebij literæ ad Imperatorem. *Ex Tabulis Eccles. Ill. Baron. ann. 355.*

*Ego Clementissime Imperator videns animum tuum Deo deuotum hoc cupere, quemadmodum per orbem terrarum firma pax Ecclesiastica permaneret, satis cum gaudio litteras tuas accepi. Suscepi etiam litteras fratrum & Coepiscoporum meorum, quibus hoc intimare dignati sunt, vt plena mihi relatio per ipsos, quos * tue * parere * hoc necessarium duxi, Mediolanū venire * properarem. Quicquid domine Imperator, in præsentia cum venero, iustum fuerit visum, & Domino placitum, id me facturum promitto, Deus te custodiat glorioſissime Imperator.*

* *quoque*
* *pateret ob hoc*
* *properè vel properare*

Sed nec Imperatoris auctoritas tātum habuisset ponderis, nisi ipsi Sedis apostolicæ legati optantes ipsum Eusebium eidem Synodo ad profligandam Arianam hęresim interesse, quem fortissimum sciebant esse Catholicæ veritatis defensorem, hisce eum vocassent literis.

DOMINO HONORIFICENTISSIMO
Eusebio Episcopo Lucifer Episcopus, Pancratius Presbyter, & Hilarius.

Legator. Apostolicor. literæ ad Eusebium. *Ex Tabulis Eccles. Ill. Baron. ann. 355.*

CALCATO capite Diaboli, & suggestionibus prauis, domine sancte, gratiam tibi à Domino nostro concessam noli negligere, sed vt quantocius, te inuadente, effugetur Arianum dogma, iam accelerare dignare. Scit enim Dominus & Christus eius, quia sicut in aduentu beatissimorum Apostolorum glorificatur Dei nomen in ruina Simonis; ita Valente expulso in aduentu tuo dissoluta blasphemantium Arianorum machina penitus destruetur. Nos domine sanctissime, a prima die, qua Vercellas venimus, religionem tuam vsq; in hodiernum cupimus. Et Dominum rogamus, vt in hac Ecclesia restaurationem perpetuam laudent

dent sancti omnes, tuamque spiritualem virtutem debita laude prosequantur. Quod credimus prouenturum, quia passionem Seruatoris superari non posse confidimus. Christus Dominus te glorioſum conſeruet, ſanctiſſime, ac beatiſſime.

His igitur permotus literis S. Euſebius acquieuit, ad certamen ſe illis coniungere ſtatuit, & quamuis multa ſe paſſurum eſſe intelligeret, nihilominus doctrinæ, Orthodoxæque religionis ſtudio incenſus, Mediolanum proficiſci contẽdit: quò dum feſtinanter properat, nauiculam ab altera ſicciden fluuij parte alligatam vltrò ſibi occurrentem diuinitus inuenit, quæ celerem tranſmiſſionem mirabiliter adiuuit. At quid Mediolanum profecto illi acciderit, ab Hilario audiamus.

Nauicula diuinitus obla ta Euſebio ad celerem fluminis trã ſmiſſionem

Ex Tabulis Eccleſ. Vinc. Bell. in ſpec. Boninio.

Euſebius (inquit) *Vercellen. vir eſt omni vita Deo ſeruiens. Iſte poſt Arelatenſem ſynodum (cum Paulinus Epiſcopus tantis iſtorum ſceleribus contraiſſet) venire Mediolanum præcipitur, collecta iam illic malignantium ſinagoga, decem diebus ad Eccleſiam vetitus eſt accedere, dũ aduerſus tam ſanctum virum malitia ſe peruerſa conſumit. Soporatis deinde Conſilijs omnibus, vbi libitum eſt, aduocatur, adeſt vna cum Romanis Clericis, & Lucifero Sardiniæ Epiſcopo. Conuẽtus vt in Athanaſium ſubſcriberet, ait de ſacerdotali fide prius oportere conſtare; compertos ſibi quoſdam ex ijs qui adeſſent, hæretica labe pollutos: expoſitam fidem apud Niceam poſuit in medio, ſpondens omnia quæ poſtularent eſſe facturum, ſi pro fidei profeſſione ſcripſiſſent. Dionyſius Mediolanen. Epiſcopus chartam primus accepit: vbi profiteri ſcribendo cepit, Valens calamum, & chartam è manibus eius violenter extorſit, clamans non poſſe fieri, vt aliquid inde gereretur. Res poſt clamorem multum, deducta in conſcientiam plebis eſt: grauis omnium dolor ortus eſt: impugnata eſt a ſacerdotibus*

Adeſt cõcilio Mediol. & aduerſatrijs Athanaſij ſe opponit.

Ex Tabulis Eccleſ. S. Athan. ad mon. & ad Conſtãt. S. Hilar. ad Conſtant. Ruffino. Socrate lib. 2. cap. 29. Seuero li. 2.

s

bus fides: verentes igitur illi populi iudicium, è Dominico ad Palatium transeunt. Cuiusmodi sententiam in Eusebium, longè antequam Ecclesiam ingrederetur, scripserint, de se loquitur ipsa sententia. Atque hactenus Hilarius. Quid porro in Palatio actum sit, commemorat Seuerus his verbis. *Valens, & Vrsacius, cæteriq; metu plebis, quæ Catholicam fidem egregio studio conseruabat, non ausi piacula profiteri, intra Palatium congregantur. Illinc epistolam sub Imperatoris nomine emittunt omni prauitate refertam, eo nimirum consilio, vt si eam æquis auribus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent: sin aliter fuisset accepta, omnis inuidia esset in Rege, & ipsa venialis, quia etiam iam Cathecumenus sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire. Igitur lectam in Ecclesia epistolam populus auersatur.* Sed ex quo de Ecclesia ad Palatium corã Imperatore ab Arianis iudicium tractum fuit. *Constantius nihil* (vt ait Athanasius) *quod Anti Christi sit, omisit: quando enim videbat criminatores hærere, & perplexos esse, ipse eorum vices subibat, vt nihil ob eius vim contradicere liceret falso accusatis, vt aperte ostendit in causa Athanasij; ibi enim cognita Paulini, Luciferi, Eusebij, Dionysij Episcoporum libertate, docentium ex poenitentia Vrsacij, & Valentis, quæ ipsi sua poenitentia reuocauerant, è vestigio assurgens ita locutus fuit; Ego sum Athanasij accusator, meo nomine illis credite.*

Quid in palatium translata Synodus. *Seuer. lib. 2.*

Constãtius Anti Christi speciem gerit. *Athan. epis. ad solit.*

Cum autem antequam Eusebius cum Apostolicæ sedis legatis ad Synodum se conferret, Dionysius Mediolanensis Episcopus Imperatori falsa asserenti credens, & ipse subscripsisset in Athanasium, dummodo in reliquo Catholicæ fidei consultum foret; id vbi intellexisset Eusebius, ægerrimo animo tulit. Sed cum facti iam pœnitentem eum inuenisset, artem quoque excogitauit, qua eius subscriptio deleri posset.

Dionisij Mediol. certamen. *ex S. Amb. serm. 69. Ill. Baron. ann. 355.*

animo

Erat Eusebius Dionysio longe ætate maior, adeo vt ipse Dionysius filius videri posset. Pater namque Eusebius præ ætate, & sedis, cui præerat, temporis diuturnitate ab eodem nominari consueuerat. Requisitus igitur cum eo peruenisset Eusebius, visus est illi annuere, ea tantum lege, si (vt dicebat) sua subscriptio ante Dionysij subscriptionem in charta perspicue omnibus poneretur, indignum planè esse affirmans, si iunior Episcopus seniori, atque parenti filius, in charta, præter Ecclesiæ morem, præferretur. Vos enim, inquit, qui dicitis filiũ Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium prætulistis? illi autem quibus nihil magis in optatis erat, quam vt fama celebrem & toti occidentali orbi conspicuum Eusebium in Athanasium ad subscribendum pellicerent; e vestigio ex tabella sententiæ Dionysij nomen expungunt, atque obliterant penitus, vt ne elementum quidem supereresset, quo vel existimari potuisset nomen Dionysij ibi vnquam fuisse notatum. *Tunc Eusebius* (ait Ambrosius) *illos increpans & irridens, ait, neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum vobiscum participare permitto.* Sic denique omni fictionis specie deposita, subscribere in hominem innocentem, & inauditum, diuina id prohibente lege, & aduersantibus Ecclesiasticis, atq; etiam sęculi legibus, nullo pacto se posse testatus est. *Vnde cum dicat Euangelium, in hac generatione prudentiores filios tenebrarum esse quam lucis; ecce* (inquit idem Ambrosius) *hic ipsis tenebris prudentior filius lucis inuentus est. Tunc illi grauiter indignantes, ita nequitiam suam sniffe delusam, ncuis eum per Constantiũ Principem passionibus vexauerunt.* Agit porrò S. Athanasius de exilio Eusebij, & sociorum, & sententia tunc aduersus eos à Constantio lata, dum ait.

Eusebij dignum facinus.

Sed cum arbitrantur plurimis insidiari, non animaduertunt se plures facere confessores, ex quorum numero clarissimi sunt confessionis viri Religiosi & Episcopi boni

Pau-

Paulinus Episcopus Treuirorum, qui Galliarum Metropolis est (hic enim ex conciliabulo Arelatensi anno superiore exulauerat) Lucifer Metropolitanus Episcopus Sardiniæ Eusebius Vercellis ciuitate Italiæ; Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Italiæ Metropolis. & in eadem epistola paulo post hæc subdit.

Magna Constantij Temeritas. S. *Athan. in ead. ep. ad solitar.*

His igitur ad se vocatis Episcopis iussit Imperator, vt contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent. quibus admirantibus nouum eius studium, dicentibusque id non esse Ecclesiastici Canonis, statim subiecit: At quod ego volo, pro canone sit: ita enim me loquentem Syriæ Episcopi sustinent; aut igitur obtemperate, aut vos quoque exules estote. Id cum audissent Episcopi, magnopere admirantes, & ad Deum manus tendentes, multa cum libertate illi suas rationes proposuerunt, docentes Regnum non ipsius esse, sed Dei, à quo acceperat; eumque metuendum, ne illud, quod dederat, de repente adimeret. Denunciabant illi diem iudicij, suadebantque ne Ecclesiastica corrumperet; neue Romanum Imperium Ecclesiasticis Constitutionibus immiscerent, neue Arianam hæresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verum nec ille audijt, nec eos plura dicere permisit; quin ob hoc ipsũ acriter minabundus, & gladiũ intentans, quosdam ex eis adduci iussit, sententiam suam, quam ante professus erat, vti Pharao reuocans. hucusque Athanasius.

Mittitur in exilium. *Ex Tabulis Eccles.* S. *Hier. de script. Eccl.* S. *Ambros. ep. ad Vercell. 82.*

Igitur Eusebius sanctus (vt testatur Ambrosius) *exiuit de terra sua, & de cognatione sua, & domestico otio peregrinationem prætulit. Ac pro fide exilij dura præoptauit ac elegit, coniuncto sibi sanctæ Memoriæ Dionysio, qui posthabuit Imperatoris amicitiam exilio voluntario. Itaque memorabiles viri circun-*

S. Atha. ad Mon. & de fuga sua. S. Epiph. lib. 1 con. Her. Theod. lib. 2 cap. 15. Ruffino Seuer. lib. 2

dati armis, vallati exercitu, cum raperentur de Ecclesia, maiori triumphant Imperio, quia contumelia terrestri mercabantur mentis fortitudinem, Regni potentiam, quibus militaris armorum strepitus extorquere non potuit fidem, subegerunt bestialis animi feritatem, quæ nocere Sanctis nequiuit. Ira enim Regis, Ira Leonis, vt in Prouerbijs habemus. Confessus est victum se esse qui rogabat, vt mutaret sententiam; sed illi validiorem calamum ferreis gladijs arbitrabantur. Denique vulnerata est perfidia, vt occideret, non est vulnerata sanctorũ fides, non desiderarũt patrium sepulchrũ, quibus reseruabatur celeste domicilium. Hactenus Ambrosius, sed ad Athanasium reuertamur:

Præconia Eusebij & Dionysij à S. Amb. ep. ad Vercell. 82.

Præconia eorundem à S. Athanas. epist. ad solitar.

Excusso igitur Sancti puluere (ait ille) & oculis in Deum coniectis, nec Cæsaris minas verebantur, neque ob strictos enses veritatem prodiderunt, & exilium veluti ministerij sui officium acceptarunt, pergentes de loco ad locum, & de Ciuitate in Ciuitatem; & nihilominus quamquam in vinculis essent, euangelizabant, piam quidem fidem prædicantes, Arianã autem hæresim anathemate damnãtes; & pœnitentiam Vrsacij & Valentis multa infamia traducentes; resq; illa Insidiatoribus planè in contrarium abijt. Quantò enim longioris interualli exilium erat, tanto magis odium aduersus insidiatores accumulabatur, iterque sanctorum non nisi prædicatio erat contra Arianam hæresim. Quis enim eos in itinere conspectos non vt Confessores admiratus est, & istos non vt impios cum abhominatione, vel potius vt carnifices, & homicidas auersatus est? & quiduis potius quã Christianos nominauit? meliusque a principio fuisset prorsus non attigisse Constantium hanc hæresim; aut vbi attigerat, non tantopere indulgere impietati; aut si ijs indulgere vellet, hic

saltem

saltem vestigium sistere. Hucusq; Athanasius. Interim Liberius, cum quę in eos gesta fuissent, accepisset, vniformem Eusebio, Dionysio, & Lucifero iam in exilio constitutis hanc dedit epistolam.

LIBERIVS EPISCOPVS DILECTISSIMO fratri Eusebio.

Litera Liberij Pont. ad Eusebiũ exulem. *Ex Tabulis Eccles. Fragm. Hilarij. ex Ill. Bar. ann. 355.*

QAMVIS sub imagine pacis humani generis inimicus vehementius in membra Ecclesiæ videatur esse grassatus, vos tamen acceptissimos Deo sacerdotes egregia singularis fides, & hic probabiles Deo ostendit, & iam ad futuram gloriam martyres designauit. Quo itaque præconio laudis, qua vocis exultatione, merita virtutis vestræ proferam positus inter mærorem absentiæ vestræ, & gaudium gloriæ, prorsus inuenire non possum: nisi quod scio hic me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me in exilium simul vobiscum esse detrusum. Denique me me adhuc in ipsa expectatione pendente, quod à consortio vestro durior necessitas interim detrahit, satis contristor. Optaueram enim fratres deuotissimi prior pro omnibus vobis impendi, vt exemplum gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuerit hæc palma meritorum vestrorũ, vt priores de perseuerantia fidei ad confessionis illustrem gloriã veneritis. Quęso igitur dilectionem vestrã, ut me præsentem vobiscum esse credatis, atque eo me affectu absentem non esse sentiatis, & intelligatis dolere me satis, quod sum interim à vestro consortio disparatus. Quantam denique gloriam fueritis consequuti, hinc magis scire potestis, quod qui in persequutione coronati sunt, solius persecutoris fructus gladio sentire potuerunt. Contra vos deuoti per omnia Dei milites, etiam falsos fratres inimicos experti, de perfidis victoriam pertulistis: quorum quã-

to uiolentia in seculo crescere potuit, tanto sanctis Sacerdotibus præmia laudis inuenimuntur conferre. Estote itaque de promissione cælesti securi, & quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum consacerdotem, famulum Dei ad Dominũ subleuate, vt superuenientes impetus, qui de die in diem, cũ annunciantur, grauiora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possimus, vt inuiolata fide, saluo statu Ecclesiæ Catholicæ, parem vobis dignetur me Dominus efficere. Et quia cupio quæ gesta sunt in ipsa cõgressione, fidelius scire, obsecro sanctitatem vestram, vniuersa fideliter literis intimare dignemini, vt additamentum maius vel ipse animus, qui diuersis rumoribus cruciatur, vel vires corporis ipsius, quæ iam extenuatæ sunt, de cohortatione vestra possint sentire. Deus te incolumem custodiat, domine frater carissime. Item ipse & mei memor esse digneris.

Cæterum de illorum exilio non solum à tanto Pontifice hæc habemus, verum etiam Ambrosij in eosdem præclarum illud elogium est. *Errauerunt toto orbe, vt nihil habentes, & possidentes omnia. Quocunque missi essent, locus delitiarum putabatur, neque enim illis quicquam deerat, quibus fides locuples abundabat: denique locupletabant alios ipsi inopes ad sumptum, opimi ad gratiam: tentabantur, sed non mortificabantur, in ieiunijs, in laboribus, in custodijs, in vigilijs; euaserunt de infirmitate fortes, non expectabant delitiarum illecebras, quos saginabat fames; non adurebant eos torrida æstatis, quos refrigerabat æternæ spes gratiæ; non frangebat glacialis plagæ frigiditas, quibus feruente spiritu vernabat deuotio; non verebantur vincula hominum, quos Iesus soluerat; non desiderabant redimi à morte, qui præ-*

Elogiũ Eusebij & Dionisij à S. Amb. *ad Vercell. ep.* 82.

præsumebant à Christo resuscitari. Hactenus Ambrosius.

Visitatur in exilio. *Seuer. lib. 2.*

Porrò exules (ait Seuerus) *satis constat totius orbis studijs celebratos, pecuniasque eis in sumptum affatim congestas; legationibus quoque eos Plebis Catholicæ ex omnibus ferè prouinciis frequentatos.*

Ablegatus vero Eusebius cum esset Scythopolim in Palestina sub cura Patrophili veternosi hęretici, Arij quondam socij, hominis planè sæuissimi, omniumq; teterrimi, fuit summo eidem prędidio & alijs ibidem exulãtibus Iosephus Comes, qui ex nobili Iudæo factus sub Constantino Magno Christianus, Comitatus dignitate ab eodem ornatus fuerat, quem Ariani sæpe frustrà tentarunt, vt ad suas partes allicerent. Verum ille pietatis obseruantissimus custos, tantum abfuit, vt illorum præcibus flecteretur, vel minis, vt potius exules Confessores Episcopos apud se susceperit, ac præsertim Eusebium, quem pie hospitatus est. apud quem agentem S. Epiphanius ex Cypro insula ad illum venit. Testatur enim id ipse cum de eodem Iosepho narrationem prosequitur atque ait. *Nam in domo ipsius Beatus Eusebius Italiæ Episcopus Vrbis Vercelle à Constantio ob fidem Orthodoxam fugatus hospitio exceptus erat & ad huius visitationem ego & alij fratres illuc profecti etiam ipsi ad ipsum diuertimus.*

A Iosepho Comite pie excipitur. *Ex Tabulis Eccles. S. Epiph. cõher. cap. 30. Ill. Baron. ann. 356.*

Visitatur à S. Epiphanio; *ex ijsdem.*

Cœterum quod Ariani pollerent Imperatoris auctoritate, inuidiæ incendio conflagrãtes, haud quaquam passi sunt eum in hominis Catholici diuersorio diutius commorari: quin Patrophilus à Iosepho diuulsum diro carceri mancipauit: indignè enim ferebant; cum ipse, tum Constantius, & cæteri Ariani, vt quem a sua Ecclesia exilio abstraxissent, in Arianorum paroecia tanto dignaretur honore, cum hospitio Comitis, tum etiam visitatione ex diuersis circumcirca Prouincijs insignium fama virorum. Iniuriosius igitur in carcere tractatus Christi martyr omnem iniuriam, omnemque vitæ acerbitatem ope diuina mirificè cum præclare sustineret, Christum esse verum Dei filium à patre summo ex omni æternitate genitum, vt firmissimè credidit, ita luculentissimis concionibus

In carcere truditur & iniuriosè tractatur, *Ex Tabulis Eccles. Ill. Baron. ann. 356.*

cionibus perpetuo etiam in carcere (refutatis ſceleratę ſententię principibus) comprobauit. Epiſtolis etiam, quas à ſe dictatas in omnes Oriētis partes mittere ſtuduit, vt ſapiens medicus, parum firmos ſalutariter curauit; labentemque fidei ſanctitatem, vt egregius optimarum rerum opifex, reſtituere conatus eſt vehementer. Alijs præterea literis, quas infra ſubijciemus, Eccleſiam Vercellēſem à ſe diuinorum myſteriorum diſciplinis egregie inſtructam firmiſsimè contra immanes Religionis Catholicæ hoſtes communiuit. Id ipſum quoque officium præſtitit Eccleſiæ Mediolanenſi cuius ſtudium in tuenda, retinendaque pietate vehementius alia Epiſtola excitauit. Sed quæ prȩcipue paſſus fuerit à Patrophilo Epiſcopo Ariano, ſcripto ad eum libello, quem illigauit his literis ad ſuos in Italiam miſsis, apertè ſignificat.

Quam dira pateretur, ſcribit ad ſuos, eoſq; aſſidue docet.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS, ET ſatis deſideratiſsimis presbyteris; ſed & ſanctis in fide conſiſtentibus plebibus, Vercellenſibus, Nouarienſibus, Hipporegienſibus, nec non etiam Dertonenſibus

EVSEBIVS EPISCOPVS IN DOMINO æternam ſalutem.

Epiſtola Euſebij ad ſuos. *Ex Tabulis Eccleſ. Ill. Baron. ann. 356.*

LICET nos multis Dominus noſter à vobis corpore ſeparatos foueret bonis, & veſtram admodum in aduentu, & viſitatione plurimorum fratrum nobis præſentiam exhiberet: tamen mæſti, ac triſtes & ſine lacrymis non eramus; quia longo temporis interuallo, veſtræ ſanctitatis nō accipiebamus ſcripta. Verebamur enim, ne qua vos aut accepiſſet diabolica ſubtilitas, aut poteſtas humana infidelibus ſubiugaſſet. His ergo dū afficeremur cogitationibus, & omnem conſolationem fratrum, qui ad nos è diuerſis veniebant prouincijs, ad dolorem magis abſentiæ veſtræ, quā ad lætitiam verteremus; hoc præſtare dignatus eſt Domi

nus

nus, vt id de quo eram solicitus, non solum literis sinceritatis vestræ, sed & præsentia charorum nostrorum Syri Diaconi, & Victorini Exorcistæ cognoscere potuerim. Agnoui itaque fratres charissimi vos, vt desiderabam, esse incolumes. Et quasi subito raptum omni longinquitate terrarum, (vt Abacuc factum est, qui per Angelum portatus fuit vsque ad Danielem) sic me iudicaui ad vos peruenisse, dum singulorum literas accipio, dumque sanctos animos vestros, & amorem in scriptis vestris percurro.

Laudatur ab Eusebio sedulũ suorum pium officium.

Miscebantur mihi cum gaudio lachrymæ, & auidus ad legendum animus occupatione lacrymarum tenebatur. Et erant vtraque necessaria, vt singuli sensus in hoc complementum desiderij sua dilectionis officia cuperent præuenire. Sic per dies in hoc occupatus vobiscum me fabulari iudicans, præteritos labores obliuiscebar. Ita enim vndique circundabant me gaudia, hinc stabilem fidem, hinc dilectionem, hinc fructum porrigentia; vt in tot, & tantis constitutus bonis subito me (vt superius dixi) non in exilio, sed vobiscum esse iudicarem. Gaudeo itaque fratres carissimi de fide vestra, gaudeo de salute, quæ fidem sequitur, gaudeo de fratribus, quod non solum illic constituti, sed & longè pergitis. Vt enim agricola arbori bonæ inseruit illi, quæ fructuum causa non securim patitur, non ignibus mancipatur: ita & nos vestræ sanctitatis non solum seruitium secundum carnem volumus, & cupimus exhibere; sed & animas nostras pro vestra salute impendere. Ex tẽdistis, vt dixi, firmos cum fructu ramos, & per tam longa terrarum spatia ad me pertingere laborastis. Gaudeo agricola, & libens vestri laboris poma decerpo, quia tantum facere voluistis: nec solum ego, vel qui mecum sunt sanctissimi nostri præsbyteri, & Diacones, vel cæteri fra-

tres

tres, sed & omnes qui desiderantes sumus. Repleſtis enim, vt Apoſtolus beatiſſimus dicit, viſcera mea, cum compleſtis mandata diuina, quæ complere decebat Chriſtianos in Epiſcopum, vel Eccleſiaſticos viros, quos in exilio fidei cauſa noſtis laborare. Compleſtis quæ oportebat fratres fratribus facere, & patri filios exhibere. Sed cum nos ſecundum mandata diuina, vobis volentes de terrenis cæleſtes, de caducis ſtabiles, de fragilibus ſempiternos fructus facere, capimus per neceſſitatem patientes quotidie ſeminare. gaudebant de veſtris fructibus pauperes, glorificabant Deum non ſolum ciuitatis ipſius homines, ſed & omnes, qui aut videre, aut audire potuerunt, quantam mecum dilectionem haberetis, ex ipſis fructibus videntes glorificabant Deum, & omni nos honore cum veſtra benedictione nominabant.

Arianorum in Euſebiũ crudelitas.

Videns hoc diabolus innocentium hoſtis, iuſtitiæ inimicus, contrarius fidei, quia in hoc opere benedicebatur Deus, inflammauit aduerſum nos Ariomanitas ſuos, qui iam longo tempore ſuſpirabant non ſolum de hoc opere, ſed & de ſua infidelitate, ad quam nos perſuadere non poterant, vt exiſterent violenti, more hoc, quo ſemper eſt vſus, vt quos perſuadere non poterat, vi & poteſtate terreret. Congregauit itaque ſuorum multitudinem, qui nos ad officinam infidelitatis ſuæ rapiunt, & eludunt, & totam hanc poteſtatem traditam ſibi ab Imperatore dicunt. His ergo multa dicentibus, & de ſua poteſtate gloriantibus in hoc illis oſtendere volui, quia nihil erant, nec poterant, dum tacens, vt carnificibus corpus tradidi, quod Dominus dicebat poſſe in perſecutionibus tradi. Quàm libero autem fuerim animo, dum ab ipſis patior & recludor, atque per quatriduum ſeruor, & diuerſorum increpationes, & perſua-

suasiones audio, in hoc ostendi, quia nec vnum sermonem dixi. Addere voluerunt ad malitiam suam, vt à me cessarent fratres, ideſt Presbyteri, & Diacones, sed & cæteros dicebant se esse prohibituros, ne ad me accederent, Ego, ne ab infidelium manibus, vel potius transgressorum, quod deterius est, infidelium (vt Apostolus dicit) manducarem cibum, libellum ad ipsos hoc more feci.

Epistola ad Patrophilum seruus Dei Eusebius cum conseruis suis, qui mecum fidei causa laborant, Patrophilo custodi cum suis.

Eusebij libellus ad Patrophilum.

QVA me vi multorum, & furore non solum tractum per terram, sed interdum nudato corpore supinum portastis de hoc hospitio, quod mihi per vestros, & agentes in rebus dedistis, è quo nunquam, nisi nunc, vestra violentia egressus sum, & Deus scit, & ciuitas nouit, nec vos hic, & in futuro negare potestis. Ideo Deo causam reseruo, vt quemadmodum ipse ordinauerit, finem possit accipere. Interim hoc me decreuisse sciatis; vt ratio nunc, & in futuro, & hic possit stare: in hospitio, quo me clausum tenetis, in quo me post primam portationem retrudentes crudelius, ausi fuistis inde eodem modo portare, & in vnam cellam reficere; non panem manducaturum, neque aquam bibiturum, nisi ante singuli professi fueritis, non solum verbo, sed & manu, vos non prohibituros fratres meos, qui mecum hæc fidei causa libenter patiuntur, de hospitio, quo manent, necessarias escas afferre, nec eos, qui me dignati fuerint requirere.

Eusebius renuit cibum sumere ab Arianis.

Oportuerat quidem exire de corpore, ne tantum

scelus, quod contra ius diuinum & publicum commisistis, sæpe scire volentibus cogerer dicere, Sed ne quis de infidelibus vos in nobis crudeles appellet, & ignorantes diuina præcepta putet nos confusiones potius vitare voluisse, quàm Domino parere, ideo hoc voluisse præsumere: iterum dico, quod nisi professi & verbo & conscriptione fueritis, eritis homicidæ prohibendo. Nouit hoc omnipotens Deus. nouit & eius vnigenitus inenarrabiliter de ipso natus filius, qui salutis nostræ causa, Deus sempiternæ virtutis, hominem perfectum induit, pati voluit, morte triumphata, tertia die resurrexit, ad dexteram Patris sedet, venturus iudicare viuos, & mortuos. nouit & Spiritus Sanctus: Testis est Ecclesia Catholica, quæ sic confitetur: quia non ego in me reus ero, sed vos, qui conseruos meos necessaria ministraturos prohibere voluistis. Et si hoc putaueritis vos debere contemnere, non quasi mortem timentem, sed ne post excessum meum dicatis, me voluntaria morte exire voluisse, & quandam vobis nebulam excusationis inuenietis, conuenturum me scitote Ecclesias, quas clausus interim literis possim pertingere: conuenturum & Dei seruos, vt in ipsis concurrentibus, orbis terrarum, quid fides integra, quæ ab vniuersis Catholicis Episcopis comprobata est, ab Arrianitis patiatur, quos ante damnauit, possit agnoscere. Item subscripsi ego Eusebius Episcopus.

Eusebius renuit cibum sumere, ne Patrofilus gloriaretur sibi ipsum licet inaniter in cibo potuq; comunicasse.

Adiuro te, qui has literas legeris, per Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vt non supprimas, sed alijs legendas tradas.

Hi ergo, vix quarta die, ad hunc libellum mitigati, ieiunos ad hospitium, in quo manseramus, reuerti nos compulerunt. Viderunt in terra, quemadmodum nos reuerentes populi cum gaudio susceperunt; lucernis nostrum

hospi-

hoſpitium circundederunt. Cæpimus annuente Domino, iterum egentibus miniſtrare. Non hoc ſuſtinuit ipſorum inhumanitas, & noſtrum amorem in ſuum odium peruiderunt. Vix ferè viginti & quinque tolerare potuerũt dies. Erumpunt denuo, & cum perdita multorum manu ad noſtrum hoſpitium veniunt armati fuſtibus, per aliena clauſtra parietem rumpunt, & ad hos violentes perueniunt. Iterum rapiunt, & in arctiori cuſtodia cum ſolo chariſſimo Tegrino Presbytero recludunt. Noſtros quoque fratres, id eſt Presbyteros, & Diaconos omnes rapiunt, & includunt. Poſtriduum poteſtate ſua per loca diuerſa in exiliũ mittunt alios fratres, qui ad nos venerant viſitandos, in Carcere publico mittunt, per plurimos dies recluſos tenent. Aduolãtes iterum ad hoſpitium omnia, quæ aut in ſumptu, aut pauperibus fuerant comparata, * diruunt. Sed quia hoc publicum ipſorum facinus, ab omnibus ciuibus notabatur, argumento hoc vſi ſunt, vt aliqua redderent leuiora, & ſe nobis noſtra reddidiſſe iactarent, ſumptus vero apud ſe tenuerunt: & poſt tantum ſcelus, quærebant, ſi fieri poſſit, ſic negare, vt nullum de meis ad me venire permitterent, qui eſcas corpori neceſſarias afferrent. Vix ſexta die clamantibus ſibi diuerſis, vnum venire permiſerunt; quantum ad ſe fuit, oſtenderunt homicidæ animos, quem primum (ne a malignitate ceſſarent) quarta die dimiſerunt: poſt modum ſexta vix, deficientibus nobis olim, cum victu venire permiſerunt. Hæc itaque ſunt Arioma-nitarum opera. * diripiũt

Dira perſecutio Arianorum.

Videte ſanctiſsimi fratres, ſi non eſt perſecutio, dum hæc patimur, qui fidem Catholicam cuſtodimus: & altius cogitate, nunc valde etiam deterior ſit, quàm illa, quæ fiebat per hos, qui idolis ſeruiebant. Illi mittebant in car-

cerem, non tamen prohibebant ad se venire suos. Quantum ergo Sathanas Ecclesias vulnerauit, per Ariomanitarum crudelitatem? in custodia publica mittunt, qui liberare debent, violentiam faciunt, qui, vt patiantur iustitiæ causa discunt: aliena diripiunt, qui sua direpta, ne repetant, de diuina lege docentur. Præterea quanta illos inuasit crudelitas, dum facultatibus temporalibus gaudent? In carcere latronibus clausis à quæstionarijs, vel à iudicibus non denegatur facultas videndi suos: à nobis & nostri prohibentur, & deuoti fratres ne veniant, non solum ab hospitio arcentur, quo tenemur, sed ne adeant, carcerum comminatione terrentur. Sic cunctos subiugauerunt, vt manifestissimè agnouerim. Ab Episcopis incipiam, dum honorem quidam timent amittere, ipsos fidem perdidisse: dumque facultates terrenas, & immunitates nolunt perdere, cœlestes thesauros, & veram seueritatem nullam iudicasse. Sic quoque ducti cæteri, dum Episcopos hæc timentes perdere vident, amare cœperunt, quæ semper habere non possunt.

Sic Ariomanitæ diuites terrent, dum his proscriptionem minantur: sic pauperes, dum potestatem in carcere recludendi habent. Et quanta insania est? in loco quo tenemur, non solum viros, qui nobis seruiunt, in carcerem mittunt, sed & puellas sanctimoniales, sine vllo diuino timore, in custodia publica recludunt. Sed vt gauisi non sunt seniores mali, qui pudicitiam Susannæ violare quærebant: ita nec hi gaudebunt semper, qui Ecclesiam persecutione varia, & depressione nimia suæ infidelitati conantur subijcere: dicit enim Sanctus Daniel ad illos: sic timentes filiæ Israel concumbebant vobiscum. Sed recedat, sanctissimi, humanus timor à vestris animis, cum habeatis Domi-

Puellæ sanctimoniales quæ passæ.

ni

ni consolationem, qui dicit: Nolite timere illos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt. Tempus est probationis: tempus est, vt probati innotescant manifesti. Ideo acceperunt humanum adiutorium, quia diuinum non habent: quod si haberent, nunquam potestate terrena innocentiam sibi animas subiugarent. Multa de illorum malis, quibus non solus ego, sed plurimi deprimimur, debueramus scribere: sed ne possemus hoc facere, & ipsorum crudelitatem literis intimare, arctissima custodia seruamur ab ipsis. Ideo ad nos & alij, & nostri amici prohibentur accedere. Sed concessit Dominus mihi hanc epistolam, per charissimum nostrum ad vos Syrum Diaconem mittere, quem in potestate mittendi habui: quia prouidentia Domini nostri, eo tempore ad videnda loca sancta accesserat, & cum cæteris fratribus inuentus non est.

Exhortatio Eusebij ad suos.

Cæterum vix hanc epistolam quomodocunque conscripsimus, Deum semper postulantes, vt custodes in horas refrenaret, & concederet, ne ad vos Diaconus nuncium magis laboris nostri, quam qualescunque salutationis literas ferret. Propter quod satis vos peto, vt cum omni vigilantia custodiatis fidem, seruetis concordiam, orationibus incumbatis, nostri memores sine intermissione sitis: vt dignetur Dominus Ecclesiam suam liberare, quæ per vniuersum orbem laborat: & vt nos, qui deprimimur, possimus vobiscum liberati gaudere. quod præstare dignabitur Dominus, petentibus vobis, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est secum benedictus à seculis, & in omnia secula seculorum. Amen.

Excusatio de communi salutatione.

Iterum peto, & vos per misericordiam Dei rogo, vt vnusquisque in hac epistola salutationem suam nuncupet: quia singulis, vt solebam, faciente necessitate scribere non potui:

potui: Ita in hac vos omnes fratres, sed & sanctæ sorores, filij, & filiæ, omnem sexum appello, omnem ætatem peto, vt hac contenti salutatione, nostro obsequio, etiam hos qui foris sunt, & nos dignantur diligere, salutare dignemini. Salutant vos fratres nostri, qui mecum sunt, Presbyteri, & Diacones, sed & omnes nostri, qui vnà mecum satis petunt, vt nostri memores, omnes vestros nostro dignemini obsequio salutare. Transmisi præterea literas, quas ad Patrophilum custodem meum feci, vt ex his agnoscatis, nos Ariomanitarum nec minis posse terreri, neque ipsorum serpentina blanda subtilitate, posse ad ipsorum societatem perduci. Diuinitas vos protegat, florentesq; viuere & hic, & in futuro faciat cum omnibus vestris, fratres chariſſimi, & satis desideratissimi.

Sed non hic finis ærumnarum Eusebij, *Dicitur enim* (inquit S. Ambrosius) *inter cætera passionum genera hoc pœnale passionis supplicium pertulisse, vt, dum interrogaretur ab Arianis, & se eorum communicare perfidiæ denegasset, scalarum procliui tractu supinis pedibus ad imum vsque protraheretur: & iterum reuocatus ad summum, interrogatus denuo, cum eadem respondisset, eadem pateretur, ac sic frequentem interrogationem frequenter huiusmodi supplicium fuerit subsecutum. In qua passione sancti Eusebij martyris licet fuerit quassatum caput, elisum corpus, membra confracta, animus tamen fidei mansit inuictus: nam quanto plus illum Ariana perfidia corporaliter lacerabat, tanto magis eum Catholica integritas spiritualiter refouebat.* hactenus Ambrosius.

Per scalas raptatur supinis pedibus. *Ex Tabulis Eccles. S. Amb. ser. 69. Ill. Baron. ann. 356.*

S. *Hier. de script. Eccl.* Atque hæc quidem Scythopoli passus est. Inde postea (Hieronymo teste) ab ijsdem Arianis ad grauiores pœnas amandatus fuit exul in Cappadociam. Demum vnà cum Lucifero relega-

relegatus in ſuperiores Aegypti Thebas. quo quidem tertio dum laborat exilio, quoniam re ipſa Catholicam religionem promouere non poterat, literis ſaltem id facere conabatur, è quarum numero extant hæ Gregorio Eliberitano in Hiſpania ſcriptæ.

Iterum ac tertio pellitur in exilium. *Ruffin. lib. 2. cap. 27. Socrat. lib. 3. cap. 4. Theod. lib. 3 cap. 4. Sozom. lib. 5. cap. 21.*

EVSEBIVS AD GREGORIVM EPI- ſcopum Span.

DOMINO SANCTISSIMO FRATRI Gregorio Euſebius in Domino ſalutem.

Epiſtolæ Euſebij ad Gregorium Eliberitanum. *Fragm. Hilarij. ex Ill. Bar. ann. 357.*

LITERAS ſinceritatis tuæ accepi, quibus vt decet Epiſcopum, & Dei Sacerdotem tranſgreſſori te Oſsio didici reſtitiſſe, & plurimis cadentibus Arimino in communicatione Valentis, & Vrſacij, & cæterorum, quos ipſi agnito blaſphemiæ crimine ante damnauerant, aſſenſum tuum denegaſſe, fidem ſcilicet ſeruans, quam Patres Niceani ſcripſerunt. Gratulamur tibi in hoc, gratulamur & nobis: quia hoc cuius propoſito & hac fide pollens noſtri dignatus es meminiſſe? Permanenti autem tibi in eadem confeſsione, & nullam cum hypocritis retinenti ſocietatem, noſtram tibi communicationem promitte. Quibus potes tractabis, quanto labori præuales, tranſgreſſores obiurga; infideles increpa, nihil metuens de regno ſeculari, vt feciſti: quia potior eſt, qui in nobis eſt, quam qui in hoc mundo.

Nos vero tui conſacerdotes tertio laborantes exilio, hoc dicimus, quod manifeſtum eſſe putauimus: quoniam omnis ſpes Ariomanitarum non in ſua aut limito conſenſu, ſed in protectione pendet regni ſecularis; ignorantes ſcripta, quia maledicti ſunt, qui ſpem habent in homine: noſtrum autem adiutorium in nomine Domini, qui*

* non in ſua vi, aut unito conſenſu.

fecit

fecit Cœlum & terram. In passionibus perdurare cupimus, vt secundum quod dictum est, in regno glorificari possimus. Dignare nobis scribere, quid malos corrigendo profeceris, vel quantos fratres aut stantes agnoueris, aut ipse monendo correxeris. Salutant te omnes, qui mecum sunt, maxime Diaconus, simulq; petunt: vt cunctos lateri tuo fideliter adhærentes nostro digneris obsequio salutare.

Reuocatur ab exilio. S. *Hieron. aduersus Luciferian. tom. 2. Ex Tabulis Eccles. Socr. lib. 3. cap. 4. Sozom. lib. 5. cap. 11. Ill. Baron. ann. 361.*

Sed quam mirabilis Deus in sanctis suis? *Dum periclitabatur* (inquit Hieronymus) *nauicula Apostolorum, vrgebant venti, fluctibus latera tendebantur, nihil iam supererat spei, Dominus excitatur, imperat tempestati, Bestia moritur, tranquillitas redit: manifestius dicam: omnes Episcopi, qui de proprijs sedibus fuerant exterminati, per Indulgentiam noui Principis ad Ecclesias redeunt. tunc Triumphatorem suum Athanasium Ægyptus recepit: tunc Hilarium de prælio reuertentem Galliarum Ecclesia complexa est; tunc in reditu Eusebij lugubres vestes Italia mutauit.* Hactenus ille.

Quanquam, vt dicetur, non se statim ad Italiam contulit Eusebius. Interim Scythopoli in Palestina Gētiles in ossa Patrophili ibi diu perfuncti munere Episcopatus, qui haud pridem ex hac vita decesserat, debacchātur, effodientes illa è sepulcro, dissiparunt; caput vero in sublime elatum, omni contumelię genere affecerūt. Digna sane poena impietatis, quippe ad vltimum vsque spiritum nefariæ hæresis Arianæ patronus permansit, eiusque crudelitas aduersus Eusebium apud ipsum exulem in primis innotuit. Ecclesiarum igitur Episcopi, qui sub Constantio (vt dictum est) in exilium acti sunt, & a Iuliano ad proprias restituti sedes, antequam ad eas accederent, necessitati Ecclesiæ Catholicæ consulturi se se ad Antesignanum & propugnatorem fidei Athanasium Alexandriam contulerunt. Eusebius vero præsertim à Liberio Pontifice, cum

Ad Alexandrinū Cōci Jū confert se.

Luci-

Lucifero legatus, qui, cum vbique terrarum essent Arianorum ope fundamenta penè conuulsa disciplinę Catholicæ, vt res Ecclesiæ communi consensu corrigerentur, de cogendo Concilio cum Athanasio diligenter egit, vt in eo Concilij Niceni præcipue decreta stabilirentur. ibi ergo Sanctorum Confessorum Concilio congregato, pauci numero, sed fidei integritate, & meritis multi, quo pacto post hæreticorum procellas & perfidiæ turbines trāquillitas reuocaretur Ecclesiæ, omni cura, & deliberatione discutiunt, scribuntque nomine Synodi ad Antiochenos, ad quos Eusebium, atque Asterium legatos mittunt cum his literis.

CARISSIMIS ET OPTATISSIMIS
sacrorum Comministris

*EVSEBIO, LVCIFERO, ASTERIO, CY*matio, & Anatholio Athanasius cæteriq; Episcopi, qui Alexandriæ ex Italia, Arabia, Ægypto, & Libya hic adsunt; Eusebius, Asterius, Gaius, Agathus, Ammonius, Agathodemon, Dracontius, Adelphius, Hermon, Martius, Andreas, Paphnucius, Marcus, Zoilus, Minias, Georgius, Liuius, Macharius, reliqui deinceps in Christo salutem plurimam.

Synodalis epist. Conc. Alexandrini per Eusebium delata per Oriéem.

PERSVASVM habemus, vos, cum sitis ministri Dei, ac Domini dispensatores, idoneos aptosque esse ad Ecclesiæ negotia temperanda. Cæterum quia ad nos allatum est, plurimos superiori tempore per contentionem disgregatos à vobis, pacem iam optare: plurimos item a vecordi Arianorum secta deficientes, vobiscum communionem affectare: necessarium visum est ea, quæ à nobis, nostrisq; dilectis scripta essent, EVSEBIO & Asterio, vestræ bonitati insinuare, qui & ipsi estis dilecti, & verè nobis desideratissimi

ex Athan. epist. ad Antiochenos. Ill. Baron. ann. 362.

ratissimi sacrorum comministri : nimirum lætos quidem nos esse de hac fama : sed tamen magnopere cupere, vt eos qui adhuc in schismate hærent segregati à vobis, quique cum Arianis cœtus faciunt, resilire curetis ab istiusmodi insania, vt omnes omnibus in locis prædicent vnum Dominum, vnam fidem. Quid enim est tam pulchrum, prout Psalmographus inquit, aut quid ita delectabile, quam habitare fratres in vnum? Nam ita quoque fieri arbitror, vt Deus nobiscum habitet, cuius hæc verba sunt: Habitabo in eis, & versabor inter eos: &: Illic habitabo, quoniam elegi eam. ita quoque quodammodo sit, vbi vna fides & religio prædicatur.

Vellemus equidem nos Ægyptij vnà cũ dilectis fratribus nostris EVSEBIO, & Asterio multis de causis istuc venire, & in primis eius rei gratia, vt vestros affectus complecteremur, frueremurque in communione istiusmodi pace & concordia. Verum quia, vt in alia epistola indicauimus, & ex comministris nostris intelligere potestis, detinemur magnopere Ecclesiasticis necessitatibus, idque non sine dolore nostro: ideo voluimus comministros nostros in rebus sacris Asteriũ, & EVSEBIVM in vicem nostri istuc pergere, ac vos inuisere. Gratias igitur ago eorum pietati: quod cum ipsis liceret properare ad suas Diœceses, istam tamen profectionem ad vos omnibus rebus suis anteposuerunt, idque in vsum vrgentis Ecclesiastici negotij. Cum igitur istud inter nos decretum esset, memetipsum non parum consolatus sum, quasi illis istic præsentibus, ego quoque vna istic præsens interessem.

Eusebij in publicis Ecclesiæ Rebus pietas.

Omnes igitur, qui vobiscum pacifice agere volunt, in primis autem illos, qui in veteris Ecclesiæ communione fuerunt, deinde qui ab Arianis redierunt, allicite ad vos:

De recipiẽdis redeuntibus ad Ecclesiam.

eosque

eosque vt Patres assumite, & vt magistri & tutores recipite, coaptantes vos interim dilecto nostro Paulino, eiusq; socijs: nihilq; amplius ab illis exigatis, quàm vt execrentur Arianorum hæresim, confiteanturque sanctorum Patrum in Nicæa fidem. Execrentur item eos, qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam, & diuisum ex substantia Christi. Id enim verè est resilire à scelerata factione Arianorum, si non diuidas sanctam Trinitatem, nec dicas aliquid eius esse creatum. Nam qui simulantur se se iactitant de confessione Nicænę fidei, atque interim audent blasphemias dicere contra Spiritum sanctum, nihil aliud præstant, quam quod Arianam hæresim verbis inficientes, animo sensuq; retineant. Anathemate quoque inuratur Sabellij, & Pauli Samosateni impietas, Valentini item & Basilidis insania, & Manichæorum stoliditas: quod si fit, omnis apud omnes suspicio delebitur, & sola Catholicæ Ecclesiæ fides pura apparebit.

Reijcitur fidei confessio nemine Sard. Conc. edita.

Quod autem hanc fidem tenemus nos, & qui perpetuo nobiscum communionem vsurparunt: nec vos, vel alium quenquam latere arbitramur. Cæterum quia cum volentibus volupe est coniungi, & quidem libenter cum omnibus, ita vero in primis ijs, qui in veteri Ecclesia conuentus agebant. Et quia potissimum Dominum glorificamus, cum de omnibus, tum precipue de hoc eximio proposito: visum est nobis vos cohortari, vt sub istis conditionibus ineatur concordia, ita vt nihil vlterius, quàm dictum est, vel illi, qui ex veteri Ecclesia sunt, à vobis flagitent: vel illi qui cum Paulino sunt, aliud præterquam quod inter Nicæni Concilij decreta reperitur, adijciant: & tabellas, quas nonnulli iactant, quasi ex Sardicensi Synodo de fide conscriptas, ne legi quidem semel, aut proferri sinatis.

nihil enim tale Concilium definiuit. Quamuis enim certi homines nonnulla quasi, quæ deesſent, Nicæno Concilio adſcribere vellent, idque acriter contenderent; Sancta tamen Synodus, quæ Sardicæ conuènit, indignè id tulit, decretoq; ſanciuit, ne quid vlterius de fide ſcriberetur, & ſe ſe contentos eſſe Nicæna fide, declarauerunt, vt cui nihil deeſſet, & in qua integra & ſolida fides contineretur: neque edendam eſſe aliam profeſſionem fidei; neilla, quæ Nicææ ſcripta eſt, ſuos numeros non habere videretur, neue illis, quibus libido eſt ſemper noua ſtatuere, occaſio huiuſmodi ſuppeditaretur, vt iterum atque iteram de fide definiant. Quapropter ſi quis hæc, aut aliud quidpiam cauillabitur, compeſcite illum, & ad ſtudium pacis inducite: nihil enim eſt quod in his agnoſcere poſſumus, niſi ſolam contentionem.

Quid per nomen perſonę Catholici intelligerent.

Illis enim, qui nonnullos incuſabant, vt trium hypoſtaſeon affirmatores, cum huiuſmodi voces in ſcriptura non reperirentur, ac proinde ſuſpecti videri poſſent: auctores fuimus, ne amplius in Nicænam confeſsionem inquirerent. Sed tamen de iſtis ob peruicaciam rixandi quæſtio eſt habita: interrogatique ſunt, num pro Arianorum ſententia alienas, peregrinaſque, ac diuerſæ à ſe inuicem ſubſtantiæ perſonas eſſe velint, & vnamquamque hypoſtaſim per ſe ac ſeorſim diuiſam eſſe; pro ratione cæterarum creaturarum, eorumque qui ex hominibus naſcuntur, exiſtiment? an ſic intelligant diuerſas res, quale eſt aurum, argentum, æs? an (vt alij hæretici) ſub iſtis vocibus tria principia, & tres maximos Deos conſtituant? Cæterum illi affirmabant, ſe ita nec dixiſſe, nec ſenſiſſe. Percunctantibus autem nobis, qua ratione igitur iſta dicerent, aut cur omnino iſtiuſmodi vocabulis vterentur? Reſponſum dederunt, ſe ſe in

Trini-

Trinitate credere, non quæ nomine tenus Trinitas, sed quæ vere Trinitas esset, & subsisteret: & Patrem, vt qui vere esset & subsisteret: & Filium vt existentem & subsistentem: & Spiritum sanctum vt subsistentem, & existentem agnoscere: non tamen se dixisse tres Deos, aut tria principia: immo ne tolleraturos quidem, si quis tale quippiam aut dicat, aut sentiat. sed se scire esse sanctam Trinitatem, vt tamen vna sit Deitas, & vnum principium: & filium se agnoscere esse coessentialem suo Patri, vt dixerunt Patres: & Spiritum sanctum non creaturam, neq; alienum, sed proprium, & indisgregatum ab essentia Patris, & Filij.

Quid per Hypostasim pie sentirent.

Approbata igitur istiusmodi & interpretatione & excusatione, vicissim quoque & eos examinauimus, qui ab istis in culpa deuocabantur, quasi dicerent, esse vnam hypostasim: sciscitantes ab illis, num pro Sabelliano dogmate ea mente loquerentur, vt sublatos vellent in Trinitate Filiũ, & Spiritum sanctum, quasi Filius essentia careat, aut Spiritus sanctus non subsisteret? Qui & ipsi quoque affirmarunt, neque ita se dicere, neque ita se sensisse vnquam, sed ὑπόστασιν eos intelligere idem esse cum οὐσία: vnam autem ideo se se hypostasim intelligere, partim quia Filius ex essentia Patris sit, partim quia in tribus sit identitas naturæ: vnam enim se se Deitatem, & vnam naturam credere: neque aliam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus sancti esse naturã. Quinimmo & illi, qui eo crimine postulati erant, quod tres hypostases inducerent, cum istis in eandem sententiam conuenerunt: vicissimq; illi, qui vnam hypostasim asseuerarent, istorum interpretationi acquieuerunt: & ambæ factiones pariter Arium execratæ sunt, vt Christi hostem, Sabelliumque, & Paulum Samosatensem,

sem vt impios: Valentinum item, & Basilidem vt alienos à veritate: Manichæum quoque, vt malorum machinatorem. Omnes denique Dei gratia post huiusmodi verborum interpretationem optimam, & exactissimam, quã Nicæa Patres instituissent, fidei esse approbarunt: eiusdemque fidei verba sufficere, ac ante omnia in vsum esse deducenda, constituerunt.

De Verbi incarnatione recta fides.

Quinimmo de negotio, dispensationeq; carnis nostri Saluatoris, cum super ea quoque re nonnulli cum alijs contentionem mouerent: & hos & illos examinationi subiecimus, & quod isti profitebantur, hoc & illi quoque suffragio assensuq; prosecuti sunt: nempe non ea ratione, qua ad Prophetas factum est verbum Domini, factum esse verbum, & aduenisse Christum sub finem seculorum: sed ipsum verbum carnem esse factum; & cum esset in forma Dei, formam serui assumpsisse, & ex Maria (quantum ad carnem attinet) hominem esse genitum, hominum gratia: eoque modo solide & integre humanum genus liberatum à peccatis in ipso, & viuificatum à morte, introduci in regnum cælorum. Et quoque itidem confitebantur, quod non corpus inanimatum, aut cogitationis, aut mentis expers Saluator habuerit. Nec enim possibile erat, vt Domino propter nos homine facto, corpus eius sine mente existeret: non enim corpori dumtaxat, sed & animæ quoque nostræ per ipsum Verbum salus est conciliata. Idemque cum vere esset filius Dei, filius hominis factus est: & cum esset vnigenitus Dei Filius, factus est primogenitus in multis fratribus. Quapropter non alius erat ante Abraham, alius post Abraham; neq; alius dum Lazarum excitaret, neq; alius cum interrogaret de eo, vbi situs esset: sed idẽ ille ipse erat corporaliter quidem, vt homo expuens: diuinitus vero, &

Dei

Dei filius oculos aperiens eius, qui à natiuitate cæcus fuerat, & carne quidem patiens (vt Petrus dixit) diuinitus tamen monumenta aperiens, & mortuos excitans. ex quibus, omnia quæ in Euangelio sunt, intelligentes affirmauerunt, se idem sentire de incarnatione, & humana natura à Dei verbo assumpta.

Cum igitur istiusmodi illorum fuerit confessio adhortamur vos, ne eos qui ita confitentur, talemque interpretationem suæ confessioni accomodant, temere damnare, aut reijcere velitis; sed potius admissa illorum excusatione, recipiendos putetis. Eos è contra, qui talem confessionem non edunt, neque tali interpretatione in istis verbis vtuntur, arcere vos vellemus, & auersari vt suspectæ mentis homines. Cæterum cum istos tolerandos non censebitis, consuletis illis qui recte interpretantur, & recte sentiunt, ne vlterior vlla inter vos adhibeatur disquisitio, neue verborum pugnis studeatis ad nullam prorsus vtilitatem: sed sensus cogitationesq; pietatis exhibete. Nam qui ita affecti non sunt, sed tantummodo super istiusmodi voculis contentiose rixantur, & aliud quidpiam, præterquàm quod Nicæa scriptum est, requirunt: hi profecto nihil aliud agunt, quàm quod proximis suis turbidam subuersionem propinant, vt inimici, & discordiarum schismatumq; æmulatores. Sed vos ò boni & fideles serui, & dispensatores Domini eos, qui scandala & peregrina inferunt, compescite, & arcete, & præ omnibus anteponite istiusmodi pacem, quæ sanæ fidei est. Forsitan Dominus misertus nostri coaptabit, quæ sunt hiulca, & diuisa, atque vnum ouile reformabit, quo vnum habeamus ducem Dominum nostrum Iesum Christum. Ad pacem exhortatio.

Hæc quidem nos, tum quia nefas est quicquam vltra

Nicænum

Nicænum Concilium requirere, aut contentiosas sententias recipere, tum vel ob pacem solum, & ne qui recte sentiunt, pro reiectis habeantur, ad istum modum censuimus; & eorum confessionem qualis fuerit, nos qui relicti sumus Alexandriæ, paucis indicauimus, idque in commune vnà cum reliquis comministris sacrorum Asterio, & EVSEBIO: nã reliqui ex nostris quisq; ad suas prouincias abierunt. Vos rursus in commune, vbi soletis conuentus agere, ista videbitis peruulgari, eòque omnes euocate. Æquum est enim, vt in eo loco primum Epistola *recitetur, ibidemque omnes qui pacem amant, inter se concilientur: ac deinde vbi conciliati fuerint, vbicunq; populis videbitur, præsente quoque vestra humanitate Synaxis celebretur, & Dominus publicè ab omnibus glorificetur. Salutant vos fratres illi, qui mecum hic agunt. Bene valete, & nostri memoriam in Domino facite.* Hactenus epistola synodalis ad Antiochenos primum, inde ad alias Orientis Ecclesias perferenda: cui inhæret subscriptio aliquot Episcoporum, atque in primis ipsius Athanasij, his verbis.

Subscriptio Episcoporum.

EGO ATHANASIVS, CÆTERIQ; EPISCOPI in hoc Conuentu præsentes epistolæ subscripsimus.

Idemq; ab alijs factũ est, qui huc legati venerant. inter quos à Lucifero Sardiniæ Insulæ Episcopo *Diaconi duo, Herennius & Agapetus, à Paulino vero Maximus & Calimerus, qui & ipsi Diaconi sunt, aderant, & aliquot Monachi* Episcopi *Apollinaris in hoc ipsũ missi.* EPISCOPORVM nomina, ad quos epistola scripta est, sunt hi: *Eusebius Vercellarũ Ciuitatis Galliæ; Lucifer Sardinię Insulę; Asterius Petræ Arabiæ; Cymatius Palati Coelosyriæ, Anatolius Euboiæ. Cæterum qui epistolam scripserunt, sunt istis Papa Athanasius, & qui cum illo Alexandriæ fuerunt: ipse quoque*

Euse-

Euſebius inter eos eſt, Aſterius item, reliqui, Gaius ex̃ Parathonio proximo Lybiæ Phragonis, & partis alterius Elearchiæ Ægypti, Ammonius, Pacnemuneus, & ex reliqua Elearchia Aegypti, Agathodæmon Schediæ & Menelaiti Epiſcopus, Dracontius paruæ Hermopolis, Adelphius Nupheos, quæ eſt Lychnorum, Hermion Taneos, Marcus Zygrorum proxime ad Lybiam, Theodorus Athribeos, Andreas Arſeniotæ, Paphnutius Sæos, Marcus Philorum, Zoylus Andromenæ Antiphron. His etiam Euſebius, quamuis ad eum quoque dirigerentur literæ, quia tamen nomine ſynodi ſcribebantur, cui & ipſe intererat, in hunc modum *latine ſubſcripſit, quorum hęc interpretatio.*

Ego Euſebius *Epiſcopus, ſecundũ exactã veſtrã vtriuſq; partis confeſſionem, qua in eandem ſententiam inuicem conueniſtis, quantum attinet ad hypoſtaſes, fateor me quoque idem ſtatuere: neque in id ſolum calculum meum addo, ſed etiam in Incarnationem Saluatoris noſtri. Conſentio eum videlicet, cum filius Dei eſſet, hominem eſſe factum, & excepto peccato, omnia, quæ veteris erant noſtræ humanitatis, aſſumpſiſſe: idq; prout habet epiſtolæ argumentum, meis ſuffragijs confirmo. Deinde quia fama apud exteros increbuit de tabella Sardiniani Concilij: ne ea vltra Nicænam fidem decreta eſſe putetur, meo ſuffragio denuncio, quo nihil laxamenti, aut noxæ Nicænæ fidei inde oboriatur: neq; eam ea de cauſa proferendam cenſeo. Valere vos omnes in Chriſto exopto. Ego Aſterius ſuperioribus ſcriptis adſtipulor, & vos in Chriſto benè valere precor.* Poſtea quoque, & ipſi ſubſcripſerunt abſentes, ſcilicet Paulinus, & alij. Subſcriptio Euſebij.

Fuerant præterea in eadem Synodo auctoritate Pontificis decretę legationes ad reſtituendas collapſas à fide Catholica Eccleſias, earumque miniſtros, ac totius Orientis procu- Mittitur à Cõcilio Legatus Antiochiã, & per totum Oriẽ

tem ad resti tuendas col lapsas à fide ecclesias *Ex Tabulis Eccles. ex ead. ep. synod. Socr. lib. 3. cap. 7. Ill. Baron. ann. 362.*

ratio Eusebio iniuncta, cui, cum munus suæ legationis obeundę Antiochiam contenderet, Lucifer aduersatur, indigno animo ferens ex Synodi decreto ianuam patere Episcopis omnibus lapsis, qui perinde ac nihil deliquissent, in suas sedes cum eodem Episcopatus honore redirent: ideoque in eundem Eusebium, quem aduenientem Antiochiam, iturum in Cappadociam primùm est nactus, veluti in eius decreti authorem inuectus est (etsi huiusmodi dissensionis causæ variæ satis rationes afferantur ab alijs, quas quidem Ill. Baronius vt minus probabiles prudentissime refellit) ac proinde recusauit cũ Eusebio cõmunicare, studioq; contentionis inductus Concilij decreta reiecit. Vnde ista tristibus & afflictis Ecclesiæ tẽporibus obueniẽtia multos ad deficiendũ ab Ecclesia impulere, noua inde secta, quæ Luciferiana dicebatur nata: Nihilominus Eusebius (ait Socrates) *partes Orientis peragrans infirmos fide instar præstantis medici ad integram valetudinem restituit, doctrina Ecclesiastica instruxit, eruditque*; cum videlicet Orthodoxos omnes ad suas partes pertrahebat. Nam iuxta Synodi decretum omnes, qui Arianam hæresim ignorantes, vel vi adhibita, non autem hereseos auctores, lapsi essent, ad Ecclesiam Catholicam reuocare, prouincias circumiens satagebat. Verum legationis iuncto negotio optime gesto; cum Ecclesiæ Vercellen. quam vnice in Christo semper dilexit, desiderio teneretur, ad Italiã versus cum Euagrio viro Antiocheno iter demum suscepit, & quaqua pertransire contingeret, fidem Catholicam vbique testatam fecit; cum cunctis in locis docendi munus obiret. Immo nauim conscendens, ne in nauigatione quidem Nauicularios & vectores doctrinæ Orthodoxę præceptis erudire atque informare prætermisit. Vbi autem in Italiam appulit, nihil sibi prius faciendum putauit, quàm vt Romam ad Liberium Pontificem veniret, à quo charitate singulari exceptus, cum aliquot dies in Vrbe fuisset, demum Pontificio congressu in omnes partes constantissime agendi pro Christi Iesu gloria confirmatus, Vercellas redijt. Hic iam spectare licet summam ciuium Vercellensium lætitiam, summumq.

Socrat. lib. 3. cap. 7.

Greg. in laud. Basil.

Venit in Italiam, & itinere docet nauicularios. *Ex Tabulis Eccles. S. Basil. ep. 8. Socr. lib. 3. cap. 4. S. Anton. Ill. Baron. ann. 362.*

Ad Liberiũ Pontificẽ se confert. *Ex Tabulis Eccles. Vinc. Bell. in spec.*

& im-

& immortale gaudium; nemo enim vllius ordinis, generis, ætatis homo fuit, quin parenti, pastorique sanctissimo, omnium virtutum laude nobilissimo Episcopo, Catholicæ Religionis perpetuo defensori obuiam prodierit. Quid? quod cũcta Italia gratijs Deo agendis, & omni sermone diuini huius viri reditum concelebrauit. Mediolanensium autem Ciuitas ob eam rem omni gaudio completa ac perfusa, non solum literis, sed legatis, & omni officio maximam ei gratulationem fecit. Sex igitur post exilium annis Eusebius superata & cruciatuum, quibus variè ab fidei hostibus affectus fuit, vi, & omni eorum nequitia, victor cum redijsset, totus deinceps in eo fuit heros inuictus, vt Arianæ factionis impetu afflictas Religionis Catholicę partes, quam studiosissimè posset, vbiq; erigeret. Quæ quidem Arianorum faces nondum erant penitus extinctæ. Nam Auxentius in Dionysij locum iam suffectus, cum a populo ignaro se vidit acclamari Catholicum, Valentinianumque Imperatorem iam sibi vt Catholico inhærere, atque communionem accipere; Hilarium vero vt calumniatorem iussum Mediolano discedere, gaudebat, ac exultabat; & super omnes arroganter extollebatur; dictis, factisque insultabat in Ecclesiæ Catholicæ sanctos Episcopos, quos semper passus fuerat aduersarios: sed præcipuè Eusebium exagitabat assidua in ipsum iacula cominus intorquentem. Insubria omni demum peragrata ad Ecclesiam Vercellensem sibi commissam planè instaurandam animum summopere adiecit. ac primum quidem restincta ferè Ariana peste, Catholicæ pietatis studiũ in omnium animis, mentibusq; excitare omni ope contendit.

Auxentio aduersatur. Ex *Tabulis Eccles.* ex *Ill Bar. ann.* 369.

Neque vero hęc aliaq; dũ ageret, sui obliuiscebatur, immo constans traditio est eum, non modo ad occasionem tollendam, qua populus Ariana inuidia seductus in eum peccaret, sed etiam ardenti studio vacandi sibi & Deo, secessisse in montes Orope Buggellensis Ditionis, & vltra Padum ad Castrum Cridonense tunc Diœcesis Vercellensis diuersis temporibus, vt qui tot curis iuuandorum aliorum gratia distinebatur, haberet vbi subinde colligeret se, ac spiritum è cælo attraheret, vnde maiores ad Dei gloriam prouehendam vires existerent. Ostenduntur etiam vtrobique ab incolis, &

Secedit in Oropæ mõtes & ad Castrum Cridonense studio orationis. *Ex Tabuli Eccles.*

in veneratione sunt certa loca, in quibus ille esse consueuerat; atque in montibus prȩcipue Oropæ loco gelidissimo, vbi etiam saxa frigore & humiditate corrodũtur; illȩ sa adhuc extat post mille tercentos fere annos imago lignea beatissimæ Virginis, quam (vt vulgo ferunt) studiosè cultam precibus ab Eusebio fuisse, ita frequentant etiamnum populi, & humiles ei nouem dierũ preces offerunt, ac vota, non modo in publicis pestis, bellique; verũ etiam in priuatis necessitatibus sȩpissime exauditi persoluunt. Sed hæc indicasse sit satis, cum ipsa frequentia populorum ad vtrunque locum quotidie confluentium ampliſſimum eius rei testimonium sit.

Clericatui Monachismũ primus in Occidente coniungit. *Ex Tabulis Eccles.*

Clericorũ porrò instituta cũ monachali vita coniũxit. *Hȩc enim primus* (inquit Ambrosius) *in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ mem. coniunxit, vt & in ciuitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiã regeret ieiunij sobrietate.* & paulo post: *Hæc igitur patientia in S. Eusebio Monasterij coaluit vsu, & durioris obseruationis consuetudine hausit laborum tolerantiam; nam hæc duo in attentiore Christianorum deuotione præstantiora esse quis ambigat, Clericorum officia, & Monachorum instituta? Ista ad comitatem & moralitatem, disciplina illa ad abstinentiam assuefacta atqs patientiam: Hæc velut in quodam theatro, illa in secreto spectatur ista; illá absconditur.* Demum in serm. LXIX. *Illud quàm admirabile est, quod in hac sancta* Ecclesia *eosdem monachos instituit; quos Clericos? atque ijsdem penetralibus sacerdotalia officia contineri, quibus & singularis castimonia conseruatur, vt esset in ipsis viris contemptus rerum & accuratio leuitarum: vt si videris Monasterij lectulos instar orientalis propositi* Indices, *si deuotiones Cleri perspexeris, Angelici ordinis obseruatione gaudeas.*

S. Ambr. ep. ad Vercell. 82.

Ill. Baron. ann. 328.

S. Ambros. serm. 69.

Ill. Baron. ann. 328.

Quod ipsum prȩstantissimum vitæ genus S. Martinus Episcopus Turonen. in Gallias transuexit, ac Sanctus Augusti-

nus

nus in Africam;qui admirabili quadam connexione duo hæc omnium perfectiſsima vitæ genera,Clericorum, & Monachorum in vnum pariter coniungẽtes,tanquam lucidiſſimis aſtris, vt olim Martyres tempore perſecutionis,in pace Chriſti Eccleſiam exornarunt.

Eccleſiam præterea Cathedralem, quæ paucis poſt annis mirabiliter, & diuinitus conſecrata traditur Theocneſti Martyris ſanctiſsimi nomine, Deo ſumma fidelium ope & teſtificatione diuinæ gloriæ exædificauit. Verum dum totis in Chriſto viſceribus vigilantiſsimus Epiſcopus omni ratione in eam curam incumbit, vt & docendo,& lucubrando, & agendo reſarciret damna ac detrimenta, quæ in turbulentiſsima Arianorum tempeſtate ex eius abſentia Clerus populuſque Vercellenſis acceperat, ecce de repente,cum Ariani iterum inſurgerent, ſeditione potiſsimum contra eum concitata,rurſus variè vehementerque eſt ab illis exagitatus. iam Catholicis templum clauſum erat, quod eis per vim atque iniuriam Arianæ factionis homines ademerant: qua ex re Euſebius Sanctiſsimus tanto animi cruciatu affectus fuit, quanto ſanè maximo torqueri vnquam potuit.ſed grauiſsimi doloris acerbitatem Deus mirificè lenijt, atque amouit. cum illud publicè in omniumque conſpectu factum planè diuinitus ſit, vt eius templi, cuius aditus omnibus obſtructus erat, fores præcanti Euſebio ſponte vltroque confeſtim patuerint. At rei admirabilitate Ariani haud quaquam commoti, malè agere pergunt, idque in primis obnixè curant, vt necem optimo Epiſcopo,fidei Catholicæ propugnatori conſtãtiſſimo afferant. Eam ſanè rem Beatiſsimus Euſebius diuinè præſenſit. *Dicitur enim* (inquit Ambroſius) *ante aliquantum temporis exitus ſui,manifeſta reuelatione vidiſſe, Kalendis Auguſti de monte ad montem volare, & prophetia quadam hoc interpretatus eſt, hac die exiturum ſe eſſe de corpore*. Itaque diſcipulorum,Clericorumque cætum conuocauit, rem totam narrauit, breuique ſe martyrium obiturum eſſe oſtendit: ac eos vt conſtanti fortique animo, & pro gloria Chriſti ad omne certamen paratiſsimo eſſent, maxime perhor-

Clauſæ fores Eccleſiæ diuinitus Euſebio pateſiunt. *Ex Tabulis Eccleſ. S. Ant. par. 2. tit. 10. Vinc. Bell. in ſpec.*

S. Amb. ſer. 70.

perhortatus est. Aliquot verò post dies domum, vbi sanctus Episcopus habitare consueuerat, Ariani cum fortissimo agmine veniunt: à quibus is primum raptus, mox cruciamentis varie tortus; tum lapidibus (quorum aliqui adhuc sanguine aspersi in sepulchro eius nuper inuenti sunt) obrutus, capite confracto, martyrij cursu egregie confecto, superatisque importunissimis Religionis Catholicæ hostibus, victor, & rerum cum primis admirandarum nomine maxime illustris, annos octuaginta circiter natus, in cœlum migrauit ad Dominum; pro cuius diuina gloria exilia, carcerem, verbera, famem, sitim, diuersa tandem supplicia perpessus, vitam quam dilexit inuenit, & de morte quam non timuit triumphauit, Dionysio Mediolanènsi, Limenio, & Honorato Vercellen. Gaudentio Nouarien. & Exuperantio Derthonen. alijsque discipulis relictis, qui egregia præclari Magistri imitatione in episcopalium laborum curriculo versati, Ecclesiæ Dei mirabiliter perpetuoque profuerunt. Hi enim, & quamplures alij fuerunt eius non modo discipuli, sed & filij in Christo, & hæredes: nam vt ait S. Ambrosius: *Quia Pontificij administratione fulgebat, plures è discipulis elegit hæredes. Quamuis igitur nonnulli liberis suis relinquant auri, argentique thesauros, nemo tamen Sancto Eusebio ditiores reliquit. Si quidem omnes extiterunt aut Sacerdotes, aut Martyres.* Fuit præterea SS. Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Athanasio, Hilario Pictauien. Martino Turonen. Epiphanio Cipri, Paulino Treuirensi, alijsq; quamplurimis illius tēporis sanctitatis laude insignibus viris, quemadmodū Catholica virtute similis, ita summa ac mutua beneuolentia coniunctus.

Martyrium subit. *Ex Tabulis Eccles. 1. S. Antonin. p. 2. tit. x. Vinc. Bell. in spec. Vsuar. in martyr. Galesinius in martyr. Bonin. Raph. Volat. lib. 16. Sixtus Senen. lib. 4.*

Eusebij discipuli. *Ex Tab. Eccles. & Annalium monumentis. S. Ambros. ser. 69.*

Eusebij amici. *ex ijsdem.*

Quo vero potissimum anno Eusebij mors acciderit, ex his quę apud Illustriss. Baroniū habētur, facile cōstabit. *Hoc item anno*, scilicet 371. *habetur in S. Hieronymi chronico mors S. Eusebij Episcopi Vercellensis: nam licet sub septimi anni horum Imperatorum laterculo posita reperiatur; quod tamen idem Hieronymus incipiat numerare annos eorundem Augustorum ab anno sequenti eorum electionis, in hunc ipsum*

Eusebij obitus tempus. *Ill. Baron. ann 371.*

ſum incidit annum, octauum eorundem Imperij, qui ab ipſo ſeptimus numeratur. Cæterum quod in primis ad tempus obitus ſpectat: haud hæc ſine dubitatione pertranſeunt: cum tamen abſque controuerſia recipiendum ſit, quod idem Hieronymus teſtatur alibi, ipſum Euſebium ſub ijſdem Imperatoribus ex hac vita migraſſe. Quod enim retardare maxime poteſt animũ, ne hoc anno, ſed vt longe poſt præſens tempus putemus Euſebium diem ſuũ obijſſe, illud eſt; quod S. Ambroſius, qui non niſi poſt triennium, anno nimirum Domini trecenteſimo ſeptuageſimo quarto creatus eſt Epiſcopus Mediolanenſis, ad Vercellenſes ſcribit literas, cum adhuc ipſa Vercellenſis Eccleſia eſſet deſtituta Epiſcopo ſucceſſore. Cæterum hæc facile refelluntur, ſi quis recte conſideret, non fuiſſe epiſtolam illam ab Ambroſio ſcriptam, cum vacaret ſedes ob mortem Euſebij, ſed obitu ſucceſſoris eius Limenij, qui reperitur interfuiſſe Concilio Aquileienſi ſub Damaſo: cum tamen illa epiſtola data appareat tempore Siricij Papæ, ipſo ortu hæreſis Iouiniani, vt quæ præcedunt eorũdẽ Ambroſij, atq; Siricij epiſtolæ declarant.

S. Hier. de ſcript. Eccl.

S. Amb. ep. 82.

Quod autem ad lucubrationes eius ſpectat, cùm Græcarum æque ac Latinarum literarũ fuerit callentiſſimus, haud otioſus, abſq; ſcriptione vitam exegiſſe creditur, vrgentibus præſertim ad hoc tunc quotidie aduerſarijs. cum Ruffinus, dum de Euſebio & Hilario agit, dicat. *Ita duo iſti viri, velut magnifica quædam mundi lumina, Illyricum, Italiam, Galliaſque ſuo ſplendore radiarunt, vt omnes etiam de abditis angulis & abſtruſis hæreticorum tenebræ fugarentur.* & Sozomenus hæc: *Porrò apud Italos & illius partis Imperij incolas Euſebius, & Hilarius, de quo ſupra dixi, propter ſingularem patrij ſermonis & eloquentiæ præſtantiam magna in laude fuerunt.* Verum de illius lucubrationibus nulla eſt memoria, niſi de translatione in noſtrum eloquium facta

Euſebij lucubrationes.

Ruffin. lib. 1. cap. 30. & 31.

Sozom. lib. 3. cap. 14.

Commen-

Cõmentarii Origenis & Euſebij Cæſarien. ſuper pſalmõs, cuius S. Hieronymus, dum eum inter ſcriptores Eccleſiaſticos recenſet, his ipſis verbis meminit. *Euſebius natione Sardus, & ex lectore Vrbis Romanæ Vercellen. Epiſcopus ob confeſſionem fidei à Conſtantio Principe Scythopolim. & inde Cappadociam relegatus, ſub Iuliano Imperatore ad Eccleſiam reuerſus edidit in pſalmos Cõmentarios Euſebij Ceſarien. quos de Græco in Latinum verterat. Mortuus eſt Valentiniano & Valente regnantibus.* Sed dolemus nobiliſsimi ingenij nihil aliud ſupereſſe, niſi Epiſtolas ſupra relatas. Extat quidem in Bibliotheca Vaticana in codice veteri manuſcripto, *Opus S. Euſebij Vercellen. Epiſcopi de Vnitate Trinitatis* inſcriptum, quod incipit: *Tu vnus Deus Pater & Fili, & Sancte Spiritus*, & aliud ſimile exemplar apud me: quod tamen Guidonem Card. Vercellen. cuius inter libros mihi legatos repertum eſt, ex eodemmet extraxiſſe facile exiſtimo: ſed quoniam illud inter opera S. Athanaſij connumeratur, non auſi ſumus inter ſcripta Euſebij reponere, tametſi & auctoritas Vaticani Codicis maxima iure optimo eſſe debeat, & videamus ſæpenumero ſermones aliquos, aliaq; opuſcula circumferri inter opera duorũ Patrum, quando cuius ipſorum ſit, hic inde adſunt rationes.

S. Hier. de ſcript. Eccl.

Ex Bibliotheca Vaticana.

Eius corpus a diſcipulis, quos permultos habuit, omni pietatis officio in Baſilica, quã Theocneſti martyris nomine ipſe exædificauerat, ſepultũ eſt: ad cuius demũ ſepulchrũ dono munereq; Dei, qui illius ſanctitatẽ vbiq; gentiũ teſtificatam eſſe voluit, miraculorum, quæ magna multaque extiterunt, ſplendor in perpetuo populi concurſu eluxit. Nam eò confluentes cæcos oculorum aſpectum, ſurdos aurium ſenſum, mutos linguæ vſum, claudos incedendi vim, ægros valetudinem mirabiliter omni tempore recuperaſſe, potiſsimumque Dæmonum eſtu agitatos ſanctiſsimi Martyris huius implorata præce diũnè quidem liberatos eſſe, vetera monimenta declarant. Potiſſimumq; Dæmones ab energumenis eſtu agitatis, oleo lampadum in Eccleſia ipſius ardentium expulſos eſſe, præter alia,

Miracula fieri ſolita in Eccleſia S. Euſebij.

S. Gre-

S. Gregorius Turonensis certam fidem reddit, dum hæc de eo scribit.

Eusebius Vercellensis Episcopus magnum huic Hilario adiutorium contra hæreses fuit, qui viuere se post tumulos, præsentibus virtutibus manifestat. Nam in die natalis sui cum multi infirmi saluentur; ænergumeni tamen rotatu valido per totam ecclesiam debacchantes, & nimio consitentes se torqueri cruciatu, eleuati in aera, lychnos, qui ad officium luminis succenduntur, manu verberantes effringunt: de quorum perfusi liquore, illicò discedente dæmone, personæ purgantur: Scitqi tunc populus tot infirmos esse mundatos, quot viderit lychnos effractos. sed & omnia, quæ sub ditione Basilicæ eius habentur, ita pia protectione conseruat, ne exinde quicquam auferatur ab aliquo. Nam videres inter hostes iniquos greges pecudum, iumentorumque, & ouium nec penitus à quoquam attingi, cum vox sonuerit. Confessoris hæc sunt Eusebij: *Huius sancti reliquias mater mea in oratorio domus suæ locauit. Factum est autem quadam die per hyemem, dum collocutione hilari pro longitudine noctis diutiùs ante focum, qui multa lignorum strue compositus fuerat, resideret: familia iam dormitante surrexit, & se lectulo haud procul ab ipso igne locauit. Dormientibus autem cunctis, scintillę flammarum ad trabes vsque conscendunt, de quibus apprehensa vna, earum valide, cæpit flammas spargere. Sed credo virtute Sancti illius, cuius reliquię propinquæ erant, flamma contra naturam desursum incuruata retorquetur, nec ad tectum, vt mos est, extenditur, sed deorsus fluit, vt putares non flammam, sed vellera lanæ de trabe pendère: nec exurebat trabem, nisi tantum ardens per ipsam vagabatur, donec expergefacta mater fa-*

S. Greg. Turon de Gloria confess. cap. 3.

milias, vocatis seruientibus, aqua superposita, restinxit incendium, quo facile omnis domus, cunctis dormientibus, exuri potuisset, si virtus Beati defuisset. Hactenus Gregorius.

Cæterum eius memoria, quæ tam in Occidentali, quam in Orientali Ecclesia vbique semper clara refulsit, Kalendis Augusti in Diœcesi Vercellen. anniuersaria celebritate recurrit: sed quoniam is dies celebritati Vinculorũ S. Petri, atque commorationi martyrum Machabeorum occupatus est, S. D. N. Clemens VIII. memoriam S. Eusebij in vniuersa Ecclesia eiusdẽ ordinationis sacro die XV. scilicet Decembris, S. Ambrosij, S. Basilij, & aliorum exemplum secutus celebrari præcepit.

FINIS.

Pro-

PRoximis autem annis Guido Ferrerius S.R. E. Cardinalis, Episcopusq; Vercellensis ad Ecclesiæ sibi commissæ curã intẽtus, cum solicitudinis quidem Episcopalis partes in cęteris pietatis officijs exequi studeret, in id etiã valde incubuit, vt non solũ, quæ propè dilapsa erant, veteris disciplinæ monimenta renouaret, sed Aedes diuino cultui dicatas, & ob vetustatem aliqua parte collabentes instauraret, illustrioriq; opere ornaret. Basilicæ igitur Cathedralis S. Eusebij instaurãdæ, & exornandæ consiliũ Cardinalis, fixa animi deliberatione suscepit. Itaque eius instaurationis paulo ante fundamẽta iecerat, quo tẽpore Ioanni Francisco Bonhomio Abbati Nonantulano Episcopatũ Sũmi Pontificis Gregorij XIII. auctoritate cessit. Et verè quod præclarè inchoatũ erat, vt egregiè absolueretur (dum nõ modo Cardinalis, qui initium antea fecerat; sed & Bonhomius Episcopus, qui religiosæ augustissimęq; illius ædificationis conficiendæ desiderio flagrabat, vt Canonici præterea impensè curarent) Dei benignitate factũ est, vt sacrum Eusebij Episcopi & Martyris corpus, quod in ea ipsa Basilica certo loco esse ex perpetua constantissimaque traditione exploratum erat, iam diu latens, demum patefactum sit, summa Cleri, Populique Vercellensis lætitia, & vniuersa penè Italię gratulatione. Quod sanè corpus ita patefactum, pièque recognitum, dum Io: Franciscus Episcopus, quo maximo poterat, Ecclesiastici apparatus splẽdore, amplo Episcoporum conuentu, celeberrima Cleri frequentia, frequentissimo fidelium concursu, summaque celebritate, ad altare maius illius Basilicæ transferendum, ibique certo loco decentissime substructo, pie riteq; collocandum curaret; in aliud tempus differre ob grauia impedimenta coactus est; cui quidem celebritati adesse statuerant, cùm sanctissimus ille vir Carolus Card. Borromeus, Archiepiscopus tunc Mediolanen. cuius sancta præsentia, religiosumq; officium solemnem Translationis illius actionem erat maxime decoratura; tũ Carolus Emanuel Sabaudię Dux, Princeps optimus, à quo religiosæ liberalitatis dona sancti Martyris cultui tributa fuerunt, præclaro cum testimonio augustissimæ pietatis suæ.

Templũ S. Eusebij nouũ inchoatur.

Inuẽtio corporis S. Eusebij.

Eius trãslatio differtur.

Veruntamen quod hactenus factum non est, speramus ex Dei benignitate aliquando præstitum iri. Cæterum cum sepulchro carmina quædã, Acrostic ha Græcè vocata, quorum primæ literæ inter se connexæ Eusebium Episcopum & Martyrem appellant, reperta sint in lapide excisa, hoc loco reddi placuit.

Carmina vetustissimo S. Eusebij sepulchro incisa.

E meritæ quantum damnato corpore vitæ,
V el cunctis exuta malis mens possit, in isto
S at dedit agnosci virtus, quem mille labores,
E xiljque dolor victi, stupuere fidelem.
B landus, & adfatu facilis, sanctusque sereno
I n vultu exponens animum, patientior æquo,
V irtutum specimen sub paupere mundo
S cribtorum custos rigidus, dubijque serenus
E xcussor veri; contendens mente beata
P urgatam in terris animam revocare per æthra.
I ndignum clamans demergi crimine vitæ,
S ulphureasque vndas corrupto corpore adire.
C andor erat mentis verus, semperque docebat
O mnia factorum nostræ rationis habenda,
P articipesque mali facinus, qui in facta reclinant.
V ltor inexpletus fidei, bellator in hostes;
S incerus, cultorque Dei, domitorque malorum.
E rrantum lumen qui crimina tolleret ore.
T alis erat specie, quem nec ieiunia longa
M agnanimum vicère: sitim fluuialibus vndis,
A lgorem vili solitum depellere veste.
R obore cœlesti mundum calcauit, & omnes
T errenas vicit labes, purgatior æthra.
V itarum maculas puro qui decoquit igne,
R ebus qui docuit populos, factisque vocauit.

NOTA-

NOTATIO.

EVsebium Martyrem appellatum esse, ac longum illud martyrium, quod à grauissimis Patribus celebratur, perpessum esse in reiteratis exilijs Religionis catholicæ causa susceptis, ac demum toleratis; atque in atroci præsertim eo supplicio, quo per schalas indignissime ab Arianis raptatus est, nemo est qui dubitet; cum id ex sermonibus sancti Ambrosij, nec non Hieronymi, Athanasij, Hylarij, antiquorumque omnium Patrum Latinorum, & Græcorum concionibus clarissimè cõstet. Necnõ ex supra redditis sepulchri carminibus, quorum genere inscriptiones antiquitus confirmari consueuisse exemplis testatur, cum de hoc ipso agit, in Martirol. Rom. Ill. Baronius; Cũq; demum Ecclesia Vercell. ac vicinæ diœceseos talẽ antiquissimo officio celebrarint; Imperatoresq; in augustalibus rescriptis, quibus Ecclesiam Vercellen. exornarunt veteribus illis temporibus, semper Martyrem nuncuparint.

Eusebius sẽper Martyr nuncupatus ab antiquis.

Verum, quod de Sancti Eusebij Historia in dubium ab aliquibus vocabatur, erat; An in ipso martyrio migrarit è vita: quę sanè res ex priscis, obsignatisq; Tabulis Ecclesiæ Vercellen. sacrisque Imaginibus, quæ præsertim in Valuis antiquo artificio elaboratis, & in fornicato opere Basilicæ Cathedralis multis ab hinc ætatibus confectæ cernuntur, clarè constat: nec solum in ea Diœcesi, sed etiam foris vbique, præsertim apud Rethos in Ecclesia Vallis Tellinę similes Imagines piè expressæ adhuc extant. ex Hymnis præterea Ecclesiasticis infrascriptis, Antiphonis, cæterisque id genus, ex quibus præcum officium de eo antiquitus confectum est, atque ex omnibus veteribus monumentis Vercellen. idem perspicuum fit tam certum, quam quod certissimum. Sed quid plura? sanguine, quem comminuto saxis capite profudit, concreti capilli, & lateritij lapides, quibus is obrutus fuit, cruore aspersi, qui reperti nuper cum eius corpore piè, & religiosè asseruantur, testatum id ita reddunt, vt profectò nihil causæ sit, cur hæc res perpetua sancta traditione, diuturnoq; firmata consensu, auctorum cer-

Clara Eusebij martyrij pignora.

certissimis lucubrationibus testata, & diuinarum præcum officio in Ecclesia demum vniuersali, concelebrata pluribus demonstretur.

HYMNVS DE S. EVSEBIO.

HOstium quæ vis potuit, doluseue
Te tui ingressu prohibere templi?
Cui prius clausi patuere postes
Sponte reuulsi.
Tum lupus ficta simulans fidelem
Veste pastorem laniabat agnos
Insubres; hunc tu regione pellis,
Fortiter omni.
Tu pijs herbas manibus nocentes
Et satis summo studio reuellis:
Tum redit per te nitor, atque cultus
Pristinus agris:
Multa tu passus: tua terga virgis
Tortor immanis violauit; alte
Tu datus præceps, maduitque sacro
Sanguine terra.
Pelleris chara patria, sed exul
Litteris firmas dubios, & Arij
Impij toto scelerata nisu
Dicta refellis.
Impotens in te lapides Tyrannus
Conijci demum iubet; ah furentes,
Ah manus sæuæ nimium, sacratis
Parcite membris.
Nos diem pugnæ colimus cruentæ,

Tu

Tu triumphato celebraris hoſte;
Vincere ò, tecum ſimul & referre
Præmia detur.
Præſtet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac nati, pariterque ſancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo, Amen.

HYMNVS ALIVS.

IAM ſol recurrit aureus,
Lucemque nobis aduehit:
Qua glorioſi martyris
Laudes canamus annuas.
Natalis aduenit dies,
Quo Chriſtiani nominis
Miles ſacratum ſanguinem
Forti profudit pectore.
Hunc gente natum nobili
Sardoa miſit patria,
Lætis beata frugibus,
Tanto viro beatior.
Romanus illum Pontifex
Ductus ſuperno numine
Baptiſmatis charactere
Suoque donat nomine.
Hic iuſſus almæ Eccleſiæ
Præeſſe Vercellenſium,
Quæ ſponte non ſuſceperat,
Solers obiuit munera.

Iam

Iam dira peſtis Arij
Totum per orbem irrepſerat:
Sed hic tuetur acriter,
Æqualitatem filij.
Suo rogatus hęreſim
Probare teſtimonio.
Non abnuit prudens, pio
Sed luſit impios dolo.
Vt veritas eluceat
Tetros ſubiuit carceres:
Athleta Chriſti dęmonum
Tormenta non abhorruit.
Deo perennes gratias
Agamus omnes ſupplices,
Qui martyrum victorijs
Aeterna donat prędia. Amen.

Sanctorum Patrum, & aliorum Antiquorum.

DE SANCTO EVSEBIO

EPISCOPO VERCELLENSE ET MARTYRE

Sermones qui in Tabulario Eccleſię Vercell. aſſeruantur.

S. AMBROSII. Sermo I.

S. Ambroſ. ſerm. 69 ſecund. veterem editionem. xv. ſecund. Rom.

AD ſancti Martyris Euſebij laudem aliquid addere velle, decerpere eſt. Tam ineffabilium enim doctrinarum Magiſter extitit, vt merita eius facilius operibus cognoſci poſſint, quam ſermonibus explicari. Tantum autem de eo con-

conſcientia retinet, quantum oratio, & narratio non prę-ualet. Igitur geſta illius non verbis adornanda ſunt, ſed perſtringenda ſententijs: pręſertim qui ſcimus eam rem comere nos non debere ſermonibus, quam videmus iam comptam eſſe virtutibus: cum dicat Apoſtolus: Regnum Dei non in ſermone eſt, ſed in virtute; ergo ad merita eius aliquid addere velle, decerpere eſt, me pręcipue, qui & ignarus rerum geſtarum ſim, & literarum imperitus ſacrarum, & rudis ſacerdotalium functionum. Potuißent autem prędicare ſancti hęc prædeceſſores mei, vſu facilius, experimento probatius, doctrina præclarius; dominum, & Patrem ſpecialiter beatum Exuperantium loquor, qui fuit eius miniſter in ſacerdotio, comes in martyrio, particeps in labore: in cuius vultibus ſanctum quoque Euſebium videre nos credimus, & quaſi in quodam ſpeculo, bonitatis illius imaginem contuemur. Facile enim cognoſcimus, qualis magiſter fuerit, cuius talem videmus eſſe diſcipulum. Sed quoniam confeſſionis illius ſimilis hunc gloria comitatur, mauult reticere laudes paternas, ne proprias pariter iactare videatur. Quid ergo de martyris Euſebij gloria prædicem, cuius tota plebs iſta ſit gloria? Et cum dicat ſcriptura: Gloria patris eſt filius ſapiens; quantæ huius ſunt gloriæ, qui tantorum filiorum ſapientia, & deuotione lætatur. In Chriſto enim Ieſu per euangelium ipſe vos genuit. Quicquid ergo in hac ſancta plebe poteſt eſſe virtutum, & gratiæ, in ſancti Euſebij magiſterio reperitur. Ex hoc autem quodam virtutum fonte lucidiſſimo, riuulorum hæc puritas emanauit. Nam quia caſtitatis vigore pollebat, propoſitum virginitatis inſtituit: quia abſtinentiæ gloriabatur angußtijs, Monachorum introduxit forte ſeruitium: quia

blandimentis erat præditus lœnitatis, cunctorum ciuium in Deum prouocauit affectum: quia Pontificij administratione fulgebat, plures è discipulis sacerdotij sui elegit hæredes. Quamuis igitur nonnulli liberis suis relinquant auri, argentique thesauros, nemo tamen S. EVSEBIO ditiores reliquit, si quidem omnes extiterunt, aut Sacerdotes, aut Martyres. Nam vt cætera taceam, illud quam admirabile est, quod in hac sancta Ecclesia eosdem Monachos instituit, quos Clericos: atque iisdem penetralibus sacerdotalia officia contineri, quibus & singularis castimonia conseruatur, vt esset in ipsis viris contemptus rerum, & accuratio Leuitarum, vt si videris Monasterij lectulos, instar orientalis propositi iudices; si deuotiones Cleri perspexeris, Angelici ordinis obseruatione gaudeas. Illud autem tacendum omnino non arbitror, quod cum Arianorum detestanda perfidia totam cum vniuerso Mundo Italiam perturbasset, atque eiusdem pestilentiæ sacerdotes simplicitatem sancti Dionysij Martyris captiuassent, ita vt subscriptionis eius vinculum retinerent, qua illum è manibus eorum sapientia liberauit? Sicut enim ait sanctus Paulus: Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem. Ita Eusebius hæreticis hereticum se esse mentitus est, vt de hæresi filium liberaret. Dixit enim se eorum consentire perfidiæ, hoc sibi placere, quod illis; sed quod sibi filium Dionisium in subscribendo præponerent, grauiter se moueri. Vos enim, inquit, qui dicitis filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium prætulistis: qua illi ratione permoti, statim S. Dionysij chyrographum deleuerunt, priorem locum subscribendi Beato EVSEBIO deferentes. Quos ille increpans & irridens ait; Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque

filium

filium meum vobiscum participare permitto. Vnde cum dicat Euangelium: In hac generatione prudentiores filios tenebrarum esse quàm lucis; ecce hic ipsis tenebris prudentior filius lucis inuentus est. Tunc illi grauiter indignantes, ita nequitiam suam fuisse delusam, nouis eum, per Constantium Principem passionibus vexauerunt. Nam post multas iniurias, Orientis plagæ illum in exilium relegarunt, in quo tanta passus est, vt Martyrij inuictam gloriam reportaret. Dicitur enim inter cætera passionum genera, hoc pœnale passionis supplicium pertulisse, vt, dum interrogaretur ab Arianis, & se eorum communicare perfidiæ denegasset, schalarum procliui tractu, supinis pedibus ad imum vsque pertraheretur; & iterum reuocatus ad summum, interrogatus denuo, cum eadem respondisset, eadem patereturr, ac sic frequentem interrogationem frequenter huiusmodi supplicium fuerit subsequutum. In qua passione S. EVSEBII Martyris, licet fuerit quassatum caput, elisum corpus, membra confracta; animus tamen fidei mansit inuictus. Nam quanto plus illum Ariana perfidia corporaliter lacerabat, tanto magis eum Catholica integritas spiritualiter refouebat. Quem quidem schalarum ascensum, atque descensum possumus dicere, quem Iacob somnians prophetauit: nam sicut ille vidit etiam istas schalas ab imo ad cœlestia vsque pertingere, sic quidem per eas Eusebius ascendit ad cœlum, Ariani ad Inferos descenderunt. Vnde, fratres, S. EVSEBIVM Machabæorum Martyrum choro annumerandum puto; si quidem illi singulis membris martyrium pertulerunt: hic autem totius corporis passione Dominum sit confessus; nec disparem eorum esse gratiam, quos etiam dies vna in martyrio copulauit.

Non ignoramus præcedentem sermonem à nonnullis tribui S. Maximo Taurinensi, cuius inter opera circumfertur, sed oppositum manifestum facile fit. Nam si quis attente legerit sermonem ipsum, animaduertet, vixisse tunc Exuperantium S. Eusebij discipulũ, qui postea Episcopus Derthonen. fuit, ac S. Ambrosij in Concilio Aquileiensi anno 381. celebrato comes, quo tempore S. Maximum floruisse vix credibile est, cum constet ipsum Concilio ab Eusebio Archiep. Mediol. contra Eutychianã hæresim anno 451. habito interfuisse. immo vsque ad annum 465. vitam produxisse, vt optime probat Ill. Baronius in Annalibus: quare cũ spatium centum fere annorum inter mortem Eusebij & Maximi intercesserit, vix credibile est discipulum Eusebij, qui sine dubio prouectæ iam ætatis esse debuit, cum in laboribus, & in martyrio comes illi in eod. sermone celebretur, audire potuisse Maximum de Eusebij laudibus sermonem habentem. Ex quibus facile æquus iudex animaduerter, eum sermonem Ambrosio potius adscribẽdum esse, cuius & temporibus congruit, & inter sermones reliquos semper numeratus est.

S. AMBROSII de eodem Sermo II.

S. *Ambros. serm. 70. secund. edit. veterem. 16 secun. Rom.*

DEpositionem S. EVSEBII hodie celebramus: Quid est depositio? Non illa vtique, quę sepeliendis in terra membrorum reliquijs Clericorum manibus procuratur; sed illa, qua homo vinculis carnalibus absolutus, liber iturus ad cælum, terrenum corpus deponit. Ipsa plenè est depositio, in qua concupiscere abijcimus, cessamus delinquere, peccare desinimus, totum quicquid saluti est graue, quasi abiecta sarcina, onere exponimus. Nam ideo hæc dies pro celebritate maxima procuratur, quia verè est summa fœstiuitas, mortuum esse vitijs, soli viuere iustitiæ, vnde & depositionis ipsa dies Natalis dicitur, quod delictorum carcere liberati, liberati nascimur Saluatori.

Sed

Sed videamus Sanctus Eusebius cum qua gloria ad hanc diem depositionis aduenerit. Dicitur enim ante aliquantum temporis exitus sui, manifesta reuelatione vidisse, se Kalendis Augusti de monte ad montem volare, & prophetia quadam hoc interpretatus est, hac die exiturum se esse de corpore. In quo facto, nescio quid primum sit admirandum: vtrum quod meruit exitus sui finem nosse, an quod scire potuerit, quæ illum post exitum gratia permaneret. Dicit sanctus Dauid: Notum fac mihi Domine finem meum, numerum dierum meorum, & reliqua. Ecce, quod Propheta optauerat, martyr accepit: notitiam, quam ille exorat, iste consequitur: nisi quòd (salua fide dixerim) amplius promereatur. Ille enim finem postulat nosse, iste etiam vltra finem, quid futurum esset, agnouit. Ille vsq; ad exitum quid desit ignorat: iste post exitum, quid superfit, edixit. Volare ergo se in hac die vidit martyr Eusebius, sicut scimus. Volare non potest, nisi quod purum, leue, atque subtile est: cuius nec sinceritas intemperantia retardatur, nec alacritas, nec velocitas mole grauatur: grauari autem volatum dico, non tam mole membrorum, quam delictorum. Vnde puto etiam in ipsis auibus, ideo velocius columbam penè præ omnibus volitare, quod alacritatem, & innocentiam comitetur. Denique sanctus Dauid cum puritate mentis volare concupisceret, non alterius animantis, nisi columbæ optauit alas, dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Intelligebat enim, quod altiora facilius penetrantur simplicitate mentis, quam leuitate pennarum. Volauit ergo hac die sanctus EVSEBIVS. Festinemus iam eius innocentiam de volatu, puritatem eius de ipsa elatione iudicemus, tanquam columba in domo Dei degens,

assum-

assumpsit spirituales pennas, requieuit in monte: & licet ipse de monte ad montem volare se dixerit, tamen in ipsa translatione maiorem requiem fuisse significo. Quid enim aliud est de monte ad montem volare, nisi de Saluatoris gratia ad Patris gloriam properare? Ipsi enim sunt montes, sicut dicit Prophetа: Mons de monte sine manibus concidentium, hoc est, Filius de Patre, absque vllius creationis accessu.

S. MAXIMI Taurinensis de Eodem Sermo III.

S. Maxim. Taur.

S Anctorum Patrum memorias religiosis conuentibus honorantes, fratres charissimi, & propria eorum merita, & munera in eis diuina miramur; qui idcirco nobis sunt venerabiles, quia præsentis vitæ luce despecta, contemptoque suorum corporum cruciatu sæuientem mundum Dei pro amore vicerunt, sicut Beatissimus hic noster Pater, dum pro assertione indisputabilis Deitatis spiritu feruentiore consurgens Arianis impietatibus obluctatur, & Ecclesias Dei, *vel concrescentium *concernentium hæreticorum procellis, atque turbinibus perturbatas, serenæ fidei tranquillitate pacauit, & sibi æterna præmia multimoda passione quæsiuit, illius scilicet inconcussa sequens vestigia, ad quem Dominus ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei. Verè, ac meritò cunctis posteritatibus honorandus ille, qui firmissimæ petræ soliditatem sequutus, inimicos Christi, & cœlestis spiritus auctoritate confudit, & infatigatæ patientiæ fortitudine triumphauit. Nec Infernus, sicut dictum est, aduersus eum porta præualuit, qui sibi portæ æternalis ingressum, Regem gloriæ confessus, aperuit:*

ruit: aut quomodo ei non pateret porta illa vitalis, qui plenitudine Euangelicæ lectionis edoctus, in Patre, filioque eius inscrutabile vnicæ Maiestatis asseruit sacramentum, edocens, & ostendens, quæ esset in vno, eodemque Dei filio, & susceptæ carnis ratio, & naturalis priuilegium Deitatis? Sciebat profectò Saluatorem dixisse: Ego, & Pater vnum sumus: &: Qui me videt, vidit & Patrem. Hæc illum confessio, & honorabilem terris, & Cælo reddidit glorioſum. Sed necessarium nunc esse reor, vt occasione Beati huius Patris nostri, quem in tantam gloriam Catholicarum Ecclesiarum fides indeclinabiliter ab eo seruata prouexit: nos quoque propitio largiente Deo, salutaribus doctrinæ Dominicæ testimonijs imbuamur. Ait ergo Dominus: Ego, & Pater vnum sumus. Qui dicit, sumus, solitarius non est: qui dicit, vnum sumus, vtique ab eo, cum quo vnum est, non potest esse diuisus. Quid mihi nunc hæretice in patre, & eius Filio diuersitatem conaris àstruere, cum Filius substãtiæ suæ nos edocens veritatem dixerit, Ego, & Pater vnum sumus? qui & vnum dicit, & sumus, nec separatione se diuidit, nec vnione confundit. Qui vnum cum Patre est, nec perpetuitate à Patre differt, nec virtute discordat: cumq; sit cum Patre vnum, de patre tamen natus asseritur; nè, vt impius blasphemat Arius, aut creatura quæcumque Filius, aut Patri impar esse credatur. Audis ergo ò homo, Deum de Deo natum, sed in tantum hoc profundo habes, quod fide credas, non habes, quod discutias argumentis. Audis filium de Patre natum, sed ne sexum aliquem possis in diuinitatem rimari, ipse filius & verbum dicitur, & lumen. Dicitur etiam Dei Virtus, & Dei sapientia; vt aduertas, non quasi per lineamenta genitalium corporaliter

creasse

creaſſe Patrem, ſed per ineffabile maieſtatis ſecretum de virtute prodiſſe virtutem, & manaſſe de lumine. Rurſus, ne verbum ipſum, non ſubſtantiam veritatis, ſed prolatiuum loquentis Dei putares eſſe ſermonem, dicitur Filius, vt in eo illius, qui Pater eſt, & conſonantiam eſſe diſceres, & affectum. Iterum quia lumen dicitur, ne fortè eum velut radium ſolis, aut ſplendorem lucernæ alieno putares lucere fulgore, ait de illo Beatus Euangeliſta Ioannes, cui arcana Dei & videre, & reuelare conceſſum eſt; dicens: Erat lumen verum, verum lumen ait, vt ſciæs illum, non cuiuſcunque creaturalis, deficientiſque uminis eſſe fulgorem, ſed a vera luce veritatem eſſe, quod liumen eſt. In tantum autem verum eſt lumen, vt non ſolum non egeat illuminari, ſed illuminandi habeat poteſtatem; illuminat enim, vt legitur, omnem hominem venientem in hunc mundum. Ait ergo Chriſtus, vt dictum eſt, Qui me videt, videt & patrem. Qui me, inquit, videt, videt & patrem. Quo modo non & duo, & vnum ſunt, cum alter videatur in altero, & vnum vidiſſe, ſi vtriuſque cognitio? & re vera, fratres, ſicut videre filium videre eſt patrem: ita intellecto patre intelligitur & filius; nam qui patrem credit, & confitetur æternum, credat neceſſe eſt & filium coæternum. ſed iam videamus, quis iſte ſit aſpectus in Filio, quo pariter videri aſſeritur & Pater. Videt ſine dubio in filio Patrem, qui credit filium ſecundum incogitabilem Deitatis naturam ineffabiliter natum eſſe de Patre, nec poſſe aliud hunc eſſe, qui natus eſt, quam eſt ille, qui genuit. Videt in Chriſto Patrem, qui opera Chriſti non extraneæ poſſibilitatis, ſed paternæ credidit eſſe virtutis. Videt in filio patrem, qui intendit illum ſub communione paterni nominis,

minis, non ingenioſæ artis induſtria, ſed ſimplicis poteſtate benedictionis ſuę, exeſum panem fœcundis eſurientium morſibus augmentantem: multiplicando nanque eſcas in ore mandentium, & panes reformando de micis, fecit poenè non eſſe mirabile, quod Manna fluxit è cœlo. Quis non aduertat in Chriſto paternæ æqualitatis opus, cum videat eum auctoritate dominantis terrere dæmones, fugare languores, oculos dare homini necdum figuratos in homine? cuius etiam veſtimenti ſimbrias, occulto aditu mulier ægrota tangendo, velut furtiuam ſubripuit ſanitatem, ſed tanquam verus Deus, quem nullum humanorum pectorum poterat latere ſecretum, & egreſſam de ſe mox prodidit medicinam, & circumſtantibus Turbis credentiũ fœminæ meritum publicauit. Videt in filio maieſtatem paternam, qui aſpicit Chriſtum non impetrantis gratia, ſed iubentis imperio, & paternæ voluntatis aſſenſũ, aut de lectulis ſuis mortuos, aut de tumulis ſuſcitantem. Si diuinę eſt operationis creaſſe hominem, eique dediſſe vitam, quo modo non diuini eſt operis, ſalutem reddidiſſe defuncto? Qui videt, inquit, me, videt & Patrem. Quomodo, fratres, in patre, filioque eius vnus eſſe poterat, & indiſcretus aſpectus, niſi eſſet ei vna, & indiſcreta ſubſtantia? Chriſtus igitur natura Deus, natura & homo, in vtroque verus, in vtroque perfectus eſt, qui a & humanitatem veraciter ſumpſit à matre, & de Patre habet naturaliter Deitatem. Qui ſic videt Filium, videt Patrem, quia cum Chriſtum eundem Deum confitemur, & hominem, neceſſario paſſiones homini, Deo mirabilia deputamus; vt intelligatur vnigenitus Dei nec à paterna maieſtate diſpar, nec à materna carne diſſimilis. Per hanc fidem, chariſſimi, à Patribus noſtris Ariana eſt confutata

perfidia; qui vtique Arius, Beati Ioannis Euangelio contradicens, dum verbum Dei Deum, & apud Deum esse negat, infidelitatis suæ creatus obscuritate, nec patrem potuit videre, nec Filium: dumque factorem omnium facturam esse contendit, & intemporali Deo temporalia conatur ascribere, præsumptionis suæ furore confusus, vtriusque in Christo naturæ salutare perdidit sacramentum. At venerandus iste Pater, qui legerat dixisse Dominum: Ego in Patre, & Pater in me est; sciens in hac doctrina personarum esse distinctionem, non naturę distantiam, Patris, Filijque eius, qui non vnus, sed vnum sunt, indissociabilem tenuit, & edocuit vnitatem; asserens pariter in Christo Domino nostro passibilem carnem, & impassibilem Deitatem.

De eodem, & Machabœis Sermo IIII.

Licet me, fratres, debitum Charitati vestræ exhibere sermonem, imperitia, pudorque reuocet, trepida semper rudimenta deterreant: dat tamen fiducia trepidanti amor venerabilis viri præsentis Antistitis: & affectionis etiam vestræ ab incunabulis admodum meis probata dilectio, omnem pauidi vim timoris excludit; super omnia gratia me beatæ recordationis Domini, Patrisque nostri Præsulis impellit; quem pro cælestium institutione virtutum piæ magis deuotionis oblectat officium, quam pompæ verborum. Cui, quamuis à me exigua & parua dicantur, placitura non dubito, quę dicentur ab eo, quem ipse in Ecclesia sua natum, ac generatum spiritalis veteris vitali lacte nutriuit. Etenim pios parentes, cum primum paruulos eorum natura prouocat ad loquendum,

sua-

ſuauiore quodam gaudio infantię ipſius illimata lingua, balbutiens ſermo delectat: tunc eorum loquendi conatus eſt dulcior, cum adhuc trepidantibus labijs, per infracta verba nequeunt explicare, quod cupiunt. Vnde, fratres, quanquam tenui ſenſu, lingua paupere cœleſtia reuerentiſſimi Viri merita æquiparare non valeam: illa me tamen ratio, quam maxime conſolatur, quia impoſſibilitatem ſtupentis ingenij mei magnitudo dilectionis excuſat: nec aliqua me offenſio de præſumptione mordebit: vbi imperitiam commendat deuotio, vbi amor verecundiam vincit. Quis itaque, Chariſſimi, in laudes Beatiſsimi Euſebij, non tota animoſitate prorumpat? cuius gloriam, etiamſi noſtra lingua reticeat, toto pene Orbe innumerabilium virtutum eius monimenta teſtantur. Hic namque eſt, de quo tanta fuit diuini prærogatiua iudicij, vt, ſicut relatio fidelium Patrum in noſtram quoque notitiam pertulit, cum ignoratus huc properaſſet, & aduena: concordantibus repente populorum votis, ſacerdos Chriſti, Pater noſtræ fieret Ciuitatis. Nec illud in electione eius obeſſe potuit, quod videbatur incognitus: quoniam quem iudicia latebant humana, Omnipotentis Dei præſcientiam latere non potuit. Denique vultis noſſe, quàm ſpeciali ſuperni vocationis ſit gratia conſecratus, ecce dedit eum vitæ integritas, fideique perfectio præcipuum ſacerdotem, & glorioſiſsimum Martyrem. Hic docuit inter vnius diuerſorij ſeptum varios cohabitantium mores in vnam coire concordiam, tantaque apud illum fuit menſura, & diſciplina viuendi, vt quotidiano acreſcente, perfectum habitaculum illud non iam diuerſoram congregatio Clericorum, ſed conſacerdotum collegium videretur: in tantum vt tanquam de ſeminario optimi germinis per complurimas Ciui-

tates, expetentibus populis, largiretur lectiſsimos de ſua inſtitutione Paſtores. Erat enim in omnibus, tanto Principe præſidente, ſpiritualium officiorum indefeſſa ſedulitas; parſimonię, ſobrietatiſque ſanitas; Charitatis dulcedo; manſuetudinis gratia; cuſtodia caſtitatis: quæ omnia, & ſi generatio noſtra adimplere non præualet, habet tamen in Patre optimo poſteritas, quod miretur. Quid illud dicam, quod peregrinationem perpeti, exilia, pœnaſq; multiplices ſalutaris fidei aſſertione promeruit; quod ieiuniorum, vigiliarumq; exercitijs roboratus, nec à via veritatis inflexus conſtantiſsimi vigore pectoris de perfidiæ auctoribus triumphauit? & inde eſt, chariſsimi, quod mors eius omni vita eſt clarior: inde quod ſacerdotium ipſius, deuotione fidelium perdurante, commune mortalium non ſentit occaſum. Quid etiam de Beatiſsimis ſeptem fratribus Machabæis potiſsimum dicam? qui dum, furentis Antiochi terrore calcato legalia teſtamenti veteris præcepta minime deſerunt, ad conſortium Regis æterni, & beatam Euangelij gloriam peruenerunt. Et ſicut fuit illorum vnius vteri germana natiuitas: ita facta eſt eis vnius fidei fraterna victoria: qui in modum Candelabri illius, quod ſepteno lumine quondam lucebat in templo; ſeptem paſsionum ſuarum lampadibus, mundi faciem radiarunt. Et ſicut illi tunc candelabro ſacerdotis cura oleum pro luminis perſeuerantia miniſtrabat; ita his Omnipotens Deus, ad illuminandam eorum fidem de theſauro gloriæ ſuæ ſancti Spiritus perfudit vnguentum. Interea mater venerabilis, tali filiorum morte lætiſsima, vna, & ſola mœrebat triſtitia, ne quis dulcium pignorum ſuorum pro ſanctificatione diuinæ legis, aut nollet, aut timeret occidi. Illa vero quanti miraculi res erat,

quod in augmentum præsentis lætitiæ in vnum diem assumptio EVSEBII nostri, & Machabæorum victoriæ conuenerunt. Quam similis eorum pugna, quam indifferens est triumphus. Illos enim Antiocho sæuienti obtulit mater: hunc, insæuiente Diabolo, in spirituale certamen credentium omnium mater sollicita produxit Ecclesia. Machabæi multimoda tormentorum genera patienter pertulerunt, ne porcinis carnibus, quæ tunc habebantur illicitæ, deuota Deo corpora polluerent: Beatissimus EVSEBIVS innumeros, grauissimosque Hæreticorum sustinuit cruciatus, ne Arianæ inquinamenta perfidiæ purissimi pectoris sui conscientiam macularent. Primus ex illis septem Fratribus, vt audistis, quia immobilis perstitit; manibus, pedibusque truncatus est: EVSEBIVS autem, in veritate fidei perseuerans, hæreticæ voluntati nec in itinere pedum, nec manuum subscriptione consensit. Secundus ex eis, ne caput veræ salutis amitteret, contentus est capitis sui cute nudari: at venerandus EVSEBIVS, dum caput suum pro membris Ecclesiæ persecutoribus obijcit, tegumentum cælestis capitis non amisit. Tertius Machabæorum linguam constantissimè pertulit impiorum manibus abscindendam, vt quæ pro toto corpore fuerat perlocuta, totum corpus suum præiret ad Deum: EVSEBIVS vero linguam suam aduersus Tyrannum fidei, & expugnationem Diabolici erroris armauit, non timens amittere, quam sciebat sibi & amissam perire non posse. Quartus autem, quintus, & sextus, vt lectum est, sine descriptione poenarum Antiochum Regem verbis acrioribus increparunt: EVSEBIVS nihilominus inter innumera tormenta, ac diuersa supplicia, tam fortia, tam magnifica est locutus, vt increpatione verborum eius impia perfi-

dorum

dorum pectora torquerentur. Septimus etiam in paternæ legis defensione persistens, Antiochum doli plenum, honores, ac diuitias promittentem, mirabili magnanimitate contempsit: EVSEBIVM autem nec honoris sacerdotalis ambitio, nec paupertas exilij à veræ fidei propugnatione diuertit, sed per sanctam inopiam ineffabiles diuitias conquisiuit, & sacerdotium suum sacerdotij ipsius amissione seruauit. Glorioſissima etiam Mater, non cedentibus filijs, iratum superauit Antiochum: & Ecclesia Christi Eusebio vincente perfidiam, ipsum impietatis auctorem Diabolum, reddita mundo veritate calcauit. Hæc est igitur Beatissimo Pontifici cum Machabæis fratribus certaminis, gloriæque communio. Huius diei nobis est annis omnibus multiplicanda, & honoranda fœstiuitas, in qua in æternam Beatitudinem, & assertores Testamenti veteris transierunt, & Noui Euangelij propugnator assumptus est.

De eodem, & de Machabœis Sermo V.

DVM ad obsequia venerandæ recordationis communis Patris nostri EVSEBII Confessoris conturrimus, religiosam perpetuum Confessoris auctori reddimus famulatum. Quicquid enim erga electos Dei deuotionis impendimus: Deo totum, qui electos suos sanctificat, exhibemus. Quis autem sanctorum memorias Confessorum non pleno, perfectoque amore veneretur? de quibus Dominus, ac Saluator noster ait: Qui confessus me fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis. Valde ergo nobis est salutare, quod Beati EVSEBII suspicimus merita, quem pro re-

tributione

tributione seruatæ fidei Apostolicæ apud sempiternum Patrem coæternus Filius confitetur. Aduertite itaque, Charissimi, quantam Beato EVSEBIO parauerit gloriam: vixisse Christo, & mortem non timuisse pro Christo, vt ait Apostolus: Mihi autem viuere Christus est, & mori lucrum. Erat vtique illi vita Christus, quia per spiritualium virtutum tramitem gradiens, absque Christo viuere nesciebat. Erat ei & mori lucrum, quia si damno præsentis vitæ transiret à sæculo, ad Christum pergens, cœli se nouerat diuitias lucraturum. Vnde & glorioſissimus iſte martyr Christum Dominum & viuens quæsiuit, & moriens acquisiuit. Quæsiuit viuens Christum, cum salutaria eius præcepta custodiens, indiuisam verbi cum patre asseruit vnitatem: acquisiuit eum moriens, cum ad societatem regni eius corpore & mente transiuit; & quia vnam Patris, filijque, sicut est, substantiam non negauit, exilia, carcerem, verbera, famem, sitim, martyriumq; substinuit. Quæ omnia fideliter superans, vitam, quam dilexit, inuenit: & mortem, quam non timuit, triumphauit. Nam quid aliud est calcare mortem, quam viuendo fideliter vitam possidere post mortem, & obeunda cum fide, perpetim sancti nominis tenere memoriam. Ecce tempora temporibus cedunt, generationes generationum successione prætereunt. Beatissimus vero Martyr EVSEBIVS ætatum nostrarum curricula cuncta transcendens, & in Christi est confessione perpetuus, & in nostra deuotione continuus. Nec sane est dubium, quod piè, sancteque viuentem & indeficiens vita comitetur, & honor subsequatur æternus. Hic est, fratres, venerandus EVSEBIVS, qui, dum peregrinantem apud perfidos fidem fideli sua peregrinatione defendit, ad Patriam veræ

fidei,

fidei, consortium cœlestis meruit Ciuitatis. Pulsus quidem est ab Ecclesia manibus iniquorum, sed vir fidelissimus secum quoque portabat Ecclesiam. An non in illo erat Ecclesia, cuius catholicum fortissimum pectus æternus Ecclesiæ auctor habitabat. Sed iam videamus, quos pro fide Martyr egregius agones egerit, laboresque pertulerit. Fertur namque ita poenali quadam habitatione conclusus, vt esset homini breuior domus, & carcerato carcer angustior: quatenus tali in ergastulo stanti, iacentiqs esset ferale supplicium: vt quicquid cruciatuum sancto de corpore exigere posset immitis, hoc tristissimæ mansionis illius operarentur angustiæ. Inedia super hæc affligebatur, & siti: sed nesciebat propugnator salutaris fidei penuriæ necessitate lascescere. Nesciebat, inquam, EVSEBIVS cibi, ac potus inopia superari, cui verbum Dei vnius erat panis, & quem sanctus Spiritus effuso desuper vbertatis suæ rore potabat. Neque illi poterat animi, corporisque deesse substantia, qui Omnipotentis Patris, & Vnigeniti eius, ac sancti Spiritus vnam, & consempiternam Deitatem confessus, in æternum pastum euangelicis vberibus lactabatur. Quid ergo huic de martyrio defuit, qui tot martyrij certamina desudauit? Accedit etiam in augmentum lætitiæ nostræ, quod pariter hodie Machabæorum fratrum celebratur Natalis, quos mater fœcunda Deo religioso partu ædidit, pio lacte nutriuit, fideli educatione prouexit: vt appareat nobilissimam matrem pignoribus suis, non solum terrenis corporibus contulisse naturam, sed etiam cœlestis animi transfudisse propositum. Et cum diuersa in fratribus ætas etiam membrorum varietate distaret, in confessione tamen diuini nominis concors in eis nesciuit discrepare germanitas. Propter quod

mira-

mirabilis fœmina glorioſius ſe amittere filios, quam genuiſſe gaudebat. Quę de Dei ſui certa promiſſis, ſuaque ſecura de fide inter tormenta morientium, pignorum interrita, & inuicta perſiſtens, iunioris natiuitatem, etiam tiranno offerente, contempſit, ſciens eum præſentis mercede mortis indefinita perennis vitę tempora mercaturum. Docuitque laudabilis Mater, vbi Dei agitur de honore, filijs, vt recte parcatur, non eſſe parcendũ: Quis non huiuſmodi fœminã toto attonitus ſtupore miretur, quæ acerbiſſimo in tãtorum obitu filiorum naturalis dilectionis oblita, immobilem Deo ſeruauit affectum? quid de fortiſſimis adhuc adoleſcentibus loquar, vel quo potiſſimum ſermone dicitur; quanta illud virtutis, quantaque fuerit fidei, magis illos obediſſe matri mortem ſuadenti, quàm ceſsiſſe Regi, nec inferenti vulnera, nec munera promittenti? Mirabiles, qui de ſupplicijs ſuis iuuenes, ſed proprijs quiſque cruciatibus arguebatur. Multo verò mirabilior mater, quæ potuit inflexa perſiſtere, cum tantorum eam pariter filiorum tormenta torquerent. Nam primus ex illis ſuccenſa flaminis ſartagine frigebatur, ſed magis matrem totis viſceribus, igne genuino ardens, frigebat affectio: alterius caput, vt lectum eſt, cute cum capillis detracta miſerabiliter denudabatur: de illa ne pœnis talibus filius vinceretur, velut à vertice nudata crinibus, maternæ pietatis metu ſuſpenſa pendebat. alij linguam perfidorum manibus, & ferro eſt impietatis abſciſſa: ſed aduerſus furentem Tyrannum fortior in matre truncata filij lingua viuebat. Et quid plura chariſsimi? vt omnium filiorum ſuorum mater afflicta tormentis; ita omnium adornata victorijs. Quę gentilis, mox perempta gladio, optabili morte deceſsit, vt quę docebat pro

Dei honore morienduꝫ, ipsa Deũ sua honoraret occàsu. Et ideo totis nos gaudijs exultemus, quia hunc nobis diem in omnem lætitiam, & pro defensione paternæ legis Machabæa progenies, & Euangelicæ veritatis assertor beatissimo obitu, semper Deo fidelis EVSEBIVS consecrauit.

De eodem, & Machabœis Sermo VI.

AD celebritatem præsentis diei, fratres Charissimi, omni nos alacritate concurrere deuotio geminæ festiuitatis inuitat: quam nos habere manifestum est de Machabæorum triumpho, & victoria Martyris. Est namque nobis per Machabæos gaudium generale cum cæteris: est & per Beatissimum EVSEBIVM domestitæ gratulationis propria peculiarisque lætitia, & licet diuersis temporibus, diuersoque agone conflixerint, vnus tamen illis spiritus dimicauit. Quamuis enim Machabæi pro reuerentia legis antiquæ; EVSEBIVS Euangelicæ pro veritate certauerint: idem tamen est Deus, qui legem dedit, & qui Euangelica reuelauit. Quis autem dubitet vnum in illis sensum, vnam mentem, vnum fuisse spiritum, cum illi pro Domini lege sint passi, hic pro ipso legis Domino pertulerit passiones? Diligentius nos intendamus charissimi, quæ specialiter Machabæis, quæuè beato EVSEBIO fuerit causa certandi. Igitur cum apud vetusta sæcula in seruos Dei Diabolicæ inuidiæ facibus gentilitas accensa fuerit, & Antiochi præcipue Regis furiosissimum pectus impia suppleffet insania, Machabæos fratres, eorumque religiosissimam matrem, raptos ad ferale iubet Tribunal adduci, quatenus eos metu mortis, terrore pœnarum, oblationibus munerum in suum transire suaderet

errorem,

errorem; at deuotissimam iuuentutem, nec minæ mundi à Deo suo reuocant, nec regia blandimenta seducunt. Itaq; primus ex illis diuinæ dispositione iustitiæ palestram certaminis cœlestis aggreditur, vt qui ætate præibat, passione præcederet, & nascendi ordo teneret in fratribus ordinem triumphandi. Hic igitur primæuus è fratribus sartagine succensa frigi iubetur à Rege, sed refrigeratur à Deo: manibus, pedibusque truncatur, sed multum de sui integratione securus, quia pro illius se nouerat lege pati, pœnes quem locum esse credebat formandi, reparandique corporis potestatem. Et ob hoc nimirum fortissimus iuuenis, toto corpore, membrisque conciditur, vt aduertat, præstante Deo, tot se martyria habere, quot membra. Priuatur alius lingua, alius capitis cute nudatur, vt pœnarum diuersitas varietatem gigneret præmiorum. Fremit ergo in omnem sæuitiam sanctorum virtutibus exacerbata crudelitas. Lasciscit lanistæ manus, cruenti tabescunt oculi; atque ipsa iam se impietas erubescit, conuersoque ordine quæstionis genitæ tortor, & tortori suo tortus insultat. Cæsis itaq; per hæc, prostratisque sex fratribus, septimus, qui, & iunior examinandus ingeritur. Quem Rex ille Tyrannicus tot, ac talibus expensis frustra supplicijs mollissima nititur allocutione mulcere. Promittit opes, offert honores, suasque insuper amicitias pollicetur, si possit à puero impetrare perfidiam. Sed constantissimus adolescens Regem, & Regis dona despiciens, paradisum cogitatione deambulans, & cælum mente percurrens, supplicia sibi censuit commodiora, quam munera; elegitque mori pro Deo, quam viuere cum Tyranno. Nec sanè poterant eum regia inclinare promissa; quem fraterna tormenta non flexerant. Immo vt exitus docuit, fidelissimus puer in

eâ magis parte videbatur torqueri, quod tardius torquebatur. Inter ista Mater egregia de cruciatibus filiorum diuinitus inspirata gaudebat, certa tot se decorandam coronis, quot funera pertulisset in filijs. Quis hæc audiens non miretur? ob honorem Dei materno in pectore genuinus tepescit affectus, fide natura superatur, & suo mulier fortior sexu, docet filios amare supplicia. Præmissis igitur ad Deum tot pignoribus, ipsa etiam spreto mundo glorioſissima morte succumbit, & dignum reuera erat, vt mater Martyrum vitam martyrio terminaret. Post ista, fratres, quod & meus concipiscit animus, vestrasque aures iamdiu sitire non ambigo, nostrum ad EVSEBIVM veniamus, quem diei præsentis assumptio Machabæorum fecit esse germanum; illi namque moriendo martyres facti sunt, iste etiam viuendo. An non videtur totis vitæ suæ temporibus laborioſissimum egisse martyrium, qui perpeti castitate luxuriam, continentia voluptatem, humilitate superbiam, iracundiam moderatione vincebat. Nunquid non martyrij inde adeptus est gloriam, qui spiritali prælio quotidiana tentamenta superans, oculatas, continuasq; Diabolicæ impugnationis superabat insidias? Hic illum animus, fratres, hoc propositum vitæ huiusmodi patribus, dudum nostris Pontificem dedit, qui tantis sacerdotium suum virtutibus sublimauit, vt inter multimoda Ecclesiæ ornamenta, velut gemma prætioſior, lumine clariori fulgeret. Fecit ergo, Chariſſimi, eum morum probitas sacerdotem, & plenitudo fidei Confeſſorem. Nam cum impietas Ariana Ecclesias Dei, profunda quiete pacatas, regali patrocinio vastaret, & ignaros quosque vel trepidos, nec suasione, nec minis in sua transisse iura captiuos, EVSEBII nostri ag-

greſſa

greſſa eſt attentare conſtantiam: ſed vir iſte fortiſſimus, non ignorans pro fide Chriſti, & nomine Apoſtolos paſsione prouectos: Martyres per tormenta creuiſſe, Arianorum terrore deſpecto, cæleſtis vitæ tranquilliſsimum portum ſæcularium fluctuum tempeſtate quæſiuit; maluitq; ſpecialiter animus corpus ſuum procellis ſubiacere mũdanis, quam in nauigio perfidorum ſalutaris fidei naufragiũ ſuſtinere. Et quia cogi non potuit prodere veritatem, coactus eſt exulare. Sed vbi ille exul, vbi eſſet peregrinus, qui non peregrinabatur a Deo? libenter, & Vrbem ſuam reliquit, & ſedem, cui Chriſtus vbique erat & honor, & patria. Vt aut mihi videtur, illi tunc potius in quodam deſolationis exilio remanebant, à quibus ſeparabatur EVSEBIVS. Recenſeamus nos, prout poſſumus, quæ Beatiſsimus Pater noſter pro fidei defenſione pertulerit, vt aduertamus, quantus eum labor, quæ merita ad tantam hanc Confeſſoris gloriam prouexerunt. Hic igitur, vt paterna nos relatio inſtruit, hac noſtra raptus ex Vrbe, Scythopolim ducitur, ibique cruciandus traditur Arianis. Non eſt incognitum, fratres, quantum poſsit exercere nequitiam inimico ſeuiendi permiſſa libertas. Clauditur itaque breui, anguſtoque cubiculo, vt præter ſeptum carceris acrius eum ergaſtuli illius angustiæ macerarent: Sed has ille anguſtias patientiſsime tolerabat; ſciens Ionam Prophetam cæti ventre concluſum, in priſtinum viuendi ſtatum, atque in officium propheticum reſtitutum, fame etiam perurgebatur, & ſiti. Sed hic, qui verbo magis viuebat Dei, ad omnem ſatietatem & conſcientia ſua paſcebatur, & fide. Cæſus nihilhominus perhibetur, ſed magnanimiter ſuſtentabat, quia in ipſo iam Chriſto Domino iniuriæ huius præceſsiſſe videbat exemplum. Et quid

plura

plura fratres? Nec fortitudine animi, nec perfectione doctrinæ, & insolentiam persequentium, & hæreticorum vicit errorem. Lætemur itaque, totisque viribus exultemus, gratias agentes Domino, ac Deo nostro, qui pro abundantia miserationum suarum, ad profectum tunc præsentium, & patrocinium posterorum, tam magnificum sacerdotem, tam mirabilem Confessorem Vrbi huic, & dedit, & reddidit.

De eodem, & Machabœis Sermo VII.

QVamquam, dilectissimi fratres, Beati Patris nostri, summi Sacerdotis & Martyris EVSEBII indignus sim filius, & minimus seruus; insignibus tamen meritis, ac virtutibus eius vel exiguam debeo pro viribus seruitutem. Et si hæc ille in cœlestibus agens, & cœtui associatus Angelico non requirit. Nos tamen nostri memores ingerimus, quod debemus. Id vero omne maxima confidentia audeo, quia non dubito eum, quamuis à me humilia, & parua dicantur, famuli, ac alumni sui sermonem, non examinantis iudicio, sed diligentis affectione pensare, atque ideo omni cum gaudio obsequium Patri, officium Sacerdoti, honorem deferimus Confessori. Hic itaque cum in hac Vrbe, dispensante Deo, summi gradum Pontificij suscepisset, vt vniuerso Clero suo spiritualium institutionum speculum se cœleste præberet; omnes illos secum intra vnius septum habitaculi congregauit: vt quorum erat vnum, atque indiuisum in religione propositum, fieret vita, victusque communis; quatenus in illa sanctissima societate viuendi inuicem sibi essent conseruationis suæ, & iudices, & custodes. Et dum

alter

alter alterius humilitatem præfert, continentiam stupet, suscipit castitatem, patientiam laudat, miserantis animi prædicat bonitatem, ieunia, vigiliasque miratur, omnes ab omnibus discerent, quod in se singuli non habebant. Quæ cũ ita essent, in vniuersorum tamen pectore bonorum omnium plenitudo magni EVSEBII de fonte manabat. atque ita fiebat, vt dum in diuina præcepta exemplis se inuicem excitant in diuersorio illo, non tam hominum esset congregatio, quam virtutum. Cum vero Christianam fidem, & Ecclesiasticam pacem toto Orbe Ariana turbaret impietas, & diuinitatis rebellis, terrore Regio exilijs, diuersisque supplicijs in consensum perfidiæ suę simplices quosque cogerent sacerdotes: EVSEBIVS noster supra petram suum constituens fundamentum, tantus, ac talis emicuit, vt eum inter fremitus fluctuum mundanorum nullus error inuolueret, potestas nulla terreret. Nam vt relatio paterna nos docuit, ita humili, angustoq; carcere clausus refertur, vt neque stans, neque iacens, haberet porrigendi sui corporis libertatem, & premebatur, quod habitatione pœnali, ne inclinum caput erigeret, sed passionis ipsius merito verticem suum attollebat in Cœlum: arctabatur nihilominus carceris breuitate, ne laxantia in requiem genua relaxaret. Sed veritatis gradiendo semitas, per amœna Paradisi incorruptæ fidei suæ vestigia dilatabat. Subtrahuntur etiam illi, vt ipsius scripta testantur, cibi, potusque ministeria, sed nulla ille carnalis escę fatigabatur inedia, qui confitendo æternitatem Christi cœlestis verbi pane viuebat. Nec cogi vnquam potuit, vt imperio perfidorum necessitate corporea statum fidelis animæ subiugaret. Et quamuis Beatus EVSEBIVS in tanto fidei prælio aduersa omnia Deo, cui

mili-

militabat, iubente superaret: omnes tamen illas iacendi angustias, atque illam famis inopiam tolerabilius perferebat, quia exercuerat eum lectulus durior, & sanctioris propositi continuata ieiunia. Hic vere cum Apostolo Paulo & dicit, & docet: Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, & reliqua? Et recte non potuit à Christo tribulationibus, & angustijs separari, qui non potuit cogi, vt à Patre Filium separaret. Et quanquam de suauitate gestorum eius nulla sit inuicem nobis dicendi, audiendique satietas, nec Beatissimorum tamen Machabæorum silentio est prætereunda victoria, quia & ipsos hic dies ereptos à sæculo, magno cum triumpho transmisit ad cælum. Et quamuis chorus ille fortissimus ad Dominum suum inter tormenta transiuit, non tamen impar EVSEBIVS, qui confutata perfidia, ad eundem Dominum victa post tormenta migrauit. Et vt manifestius aduertamus EVSEBII nostri inferiorem Machabæorum non fuisse victoriam, illi veteri pro lege certarunt: hic nouo pro Euangelio dimicauit: illi pro præceptis quidem Dei subiacuere supplicijs: EVSEBIVS autem pro Deitatis ipsius veritate conflixit. Restiterunt illi Antiocho Regi, ne illicitis carnibus tunc vescerentur: obstitit iste Diabolo, ne hæretici sermonis fermento panem nobis dominicum macularet. Exultemus itaque fratres, Deo nostro agentes gratias, quia sub hac præsentis diei deuotione gemina festiuitate lætamur: EVSEBII quippe suspicientes triumphum, & victoriam: Machabæorum tormenta mirãtes. At non mirabiles Machabæi, quos natiuitatis suæ, passionisque consortio, & apud sæculum fuisse fratres, & in cælo videmus esse germanos? qui pinguissimo egregiæ

matris

matris ab vbere & substantiam viuendi, & vincendi suxere virtutem. In tantam enim perfectionem lacte, & sermone adoleuere materno, vt insuperabilis esset & in corde eorum sapientia, & in corpore fortitudo. Denique Antiochus lectissimos iuuenes fide propria, & materna adhortatione constantes, vt à reuerentia paternæ legis auerteret, non acerbissimis terrere supplicijs, non magnis potuit reuocare promissis. Tantus enim in membris eorum vigor, tantus in pectore spiritus, tanta erat in responsione doctrina, vt spernendo pœnas, & confutando perfidiã, impij Regis & terrorem vincerent, & furorem. Venerabilis autem mater confessione Pauli, & consimili morte defuncta, loetior ad pignera sua de hoc sæculo profecta migrauit: nec mirum si sæuitiam Regis in semetipsam magnanimiter pertulit, quæ tam fortiter eam potuit & in filijs substinere. Verè beata mulier, atque omnibus prosequenda pręconijs, quam pro fide Dei sui, & in occasibus filiorum, nulla carnis fugit affectio, & à tormentis proprij corporis nec sexus reuocare potuit, nec senecta. Hæc ergo sunt, charissimi, diei huius gaudia votiua fidelium: hæc semper Beato EVSEBIO, & glorioſissimis Machabæis exhibeamus obsequia: quos in æternum regnum tempus quidem diuersum, sed fides eadem & dies vna prouexit.

ATHONIS Episcopi Vercellensis de eodem Sermo VIII.

DE præcipuis, fratres charissimi, solemnitatibus semper nobis aliquid dicendum est vulgaribus, vt nostro discere valeant sermone, quod celebrare conten-

dunt & amore. Sed in hac festiuitate nil prædicare possumus aptius, quàm si nostri Patroni fœsta differamus aptius. Igitur Beatissimus EVSBIVS, cuius hodie fœsta recolimus, in Sardinia Prouincia ortum cognouimus, Romæ iam vnda baptismatis ablui, ac ab ipso summo Pontifice sacro de fonte suscipi, eiusque nomen meruit adipisci. Quod nomen benè alluſit ad gratiam: nam pius fuit ab ipsa infantia. EVSEBIVS enim pius interpretatur, sicut a Græcis interpretibus declaratur. Sed qui regeneratus est per Beatum Papam Eusebium, Antistes ordinatus est per eius successorem Iulium. Eoqs tempore Vercellas destinatus est EVSEBIVS, qui fide, verbo, & opere præ cūctis fuerat præditus. Hunc frendens concio Arianorum adeò spernebat, quem verę fidei adsertorem esse cernebat. Et quia non timuère blasphemare Redemptorem, ausi sunt etiam refutare Pastorem. Concludunt se Beatę Dei Genitricis Ecclesiæ ianuis, quam piæ memoriæ Constantinus erexerat à fundamentis. Vectibus, & seris munierunt aditum, vt vel sic pastoris repellerent aduentum. At Pastor egregius signo crucis omnia confregit, qui ad sanctam Trinitatem prædicādam libera voce venit. Et qui Filiū Dei ęqualem Patris nō metuit testificari, eius matrū ianuas seſe pandentes meruit intrare. Cedunt Ariani, tanto pauore perculsi, atque ad crudelissimum properant Imperatorem confusi. Nam Constans illius temporis Imperator, pernicioſus erat Catholicæ fidei supplantator: & quia sciebant hæreticum, liberè accusabant Catholicum. Ad synodum mox cunctos Episcopos Mediolani conuocat fraudulenter, vt sanctam fidem sic extinguat latenter. Ad quem Beatus EVSEBIVS ire distulerat, quem, quod agendum erat, minime latuerat. Chyrographum

phum in sua fide ab hæreticis factum Imperator laudabat, quod filium minorem patri per omnia prędicabat. Contra quod Catholici prima fronte contenderunt, nouissime tamen perterriti omnes, qui adfuerant, subscripserunt. Quod cum audisset Beatus EVSEBIVS, inenarrabiles corde profudit gemitus. Nec se potuit continere, quin ad memoratum iret Concilium pro fide contendere, sancti Euangelij chara deportans pignora, & festinanter ad flumen mox peruenit Siccidam, vocauit nauem, quæ erat ad ripam alteram, quem mox susceptum transuexit vnda valida. Venit ad Vrbem, quæ dicitur Metropolis, ingentem luctum planxit cum Catholicis. Extergens luctum, locutus est prudentiam, fratribus cunctis dedit indulgentiam, si eius deinde sequerentur vestigia. Imperator eum suscipiens, magnam finxit humilitatem, vt eius ad sacrilegium taliter seduceret sanctitatem. Dicens: subscribe Pater, quod subscripsimus; confirma tu, quod nos omnes iam dudum firmauimus. At prudens Pater se hoc facere detestabatur, quippe priorem omnibus, chirographi inscriptionem se cunctis supponere denegabat. Illud deleri, & aliud fieri proclamabat, in quo se prior omnibus subscribere doctor valeat. Sic diuino nutu Tyrannum deludere potuit, quem callidè Tyrannus decipere voluit. Nec mora, ipsum concessum est cremari, & aliud iussum est simile præparari. Quod taliter compositũ est pœnitus, quemadmodum Beatus dictauerat EVSEBIVS. In hoc Catholici consenserant, vno omnes animo post eum subscripserunt. Hanc fidem promiserunt contendere, hanc pro ipsa mortis iniuria polliciti sunt non negare. Videns Imperator horum non posse dissolui constantiam, omnem ferè in Beatum EVSEBIVM contorsit insaniam. Tunc vario

censuit eum affligi periculo, quem tandem iubet longo deportari exilio. Carceres, & compedes acerbos pertulit, fame, & siti longo tempore laborauit. Signis, & virtutibus ibidem declaratus est, diuinis consolationibus sæpe confortatus est. Nec in tantis etiam constitutus periculis, sui bonus Pastor immemor factus est gregis. Nam literis eum de remotis partibus instanter visitabat, & de Catholicæ fidei perseuerantia iugiter corroborat. Sed iam iam pene cedebant catholici, nam diù eos persequebantur hæretici. Tandem misertus Dominus Tyrannum extinxit improbum, & Beatum EVSEBIVM ad solum reduxit proprium. In quo itinere ei ostendit visionem, vnde sui corporis cognosceret resolutionem. In vertice montis per visum se stare putabat, & altius ad quoddam Palatium, sole præclarius, pennis euolare credebat. Intellexit illicò de præsentis vitæ conuersatione ad æternæ gloriæ ascensurum remunerationem. Interea Vercellas rediens, magno gaudio a suis, & summo receptus est honore: eisq; fidem Christi constanti prædicabat sermone, se mox migraturum de sæculo dicebat, illos multa post se passuros esse docebat: patienter tamen hæc toleranda monebat, suaque constantiæ, & passionis exempla proponebat; & insuper æternæ remunerationis gaudia promittebat. Nec defuit seditio Ariana, quin Martyrem compelleret ad coronam. Fustibus, & gladijs super eum insurgere, & lapidibus non timuerunt obruere. Ictibus illorum fracto cerebro occubuit, & sanctam Deo taliter animam reddidit. Corpus autem à suis discipulis in Ecclesia sepultum est, quam ipse olim in honore Martyris Theocnesti construxerat, diuino amore compulsus, vbi multa beneficia præstantur omnibus, qui Beati EVSEBII intercessionem

puris

puris impetrant præcibus. Nos quoque ſuis orationibus ab æterno liberet ſupplicio, qui Kalendis Auguſti de carnis ereptus eſt ergaſtulo. Amen.

ELOGIA.

QVoniam vero inter cætera ad apparatum translationis pertinentia Reuerendiſſimus Bonhomius Prædeceſſor noſter tum ex Græcorum, tum Latinorum Patrum concionibus excerpta Elogia de ſancto Euſebio in Baſilica Euſebiana, atrio Epiſcopali, arcubus, tropheis, vijſque publicis apponenda ediderat: Nos eius exemplum ſecuti, ex ijs nonnulla ſelegimus, alijs additis iuxta ordinem rerum præclariorum ab Euſebio geſtarum, vt non ſolum in translatione (ſi Deus dederit) vſui eſſe poſſint, ſed in Atrio etiam quædam ex ijs ſub Imaginibus ex decreto Prouinciali ſuo tempore pingendis deſcribantur.

VERSVS.

HIC ille eſt Pater EVSEBIVS, qui reſpuit Ari
Dogmata, conſtantiq; irrita iuſſa facit.
Pulſus in exilium cauea concluditur arcta,
Sed recreat fratres ſedula docta manus.
Mox redeunte illo, faciem tota Itala tellus
Mutat, & hauſta prius dira venena vomit.
Tum, quod ei nequeunt obſiſtere, percita ſacrum
Comminuunt ſaxis impia turba caput.

I.

Euſebij Pater ſub Maximiano fidei cauſa vinctus, dum ex Africa Romam ducitur, in itinere à ſatellitibus iniurioſius tractatus, ex hac vita ceſſit, præclara cum teſtificatione pietatis ſuæ.

Ex

II.

Ex eo parente, viro fide, generisque claritate nobilissimo, matreq; etiam religiosissima fœmina, Eusebius in Sardinia natus, post illius obitum ad Vrbem Romam venit.

III.

Ab Eusebio Pontifice diuinorum mysteriorum disciplinis instructus, sacro Paschæ solemni die & baptismum, & nomen accepit.

IIII.

Res, dum baptizatur, diuinitus facta est, quod manibus eum Angelus in sacro fonte sustinere visus est.

V.

In Pontificum Rom. Eusebij, Melchiadis, Syluestri, Marci, & Iulij disciplina educatus, vt ætate, sic omni virtute mirificè processit.

VI.

Vercellarum Episcopus à Iulio Pontifice consecratur, quo tempore hæresis Arianæ faces Constantius Imperator nefariæ factionis furore inflammatus, in omni Italia accendere conaretur.

VII.

Præstantis vitæ genus secutus adeo sanctè vixit, vt dum Missæ sacrificium conficeret, in eius manibus ministerium Angelorum appareret.

VIII.

Virginitatem adeò perpetuò coluit, vt mulier eius amore flagrans ad illum irrumpere conata, valuis patentibus, à cubiculi aditu diuinitus, mirèq; prohibita sit.

IX.

Ad Imperatorem in Gallias iussu Liberij se transfert, à quo, quicquid ea legatione petebatur, obtinuit.

X.

Ad Mediolanense Concilium, quo à Constantio vocatus impietatis illius conscius ire noluerat; audita quorundam Episcoporum subscriptione, festinanter properans, nauicula ab altera Siccidæ fluuij parte alligatâ, vltro sibi occurrentem diuinè inuenit, quę celerẽ transmissionem mirè adiuuit.

Diony-

XI.

Dyonisium Mediolanensem ab errore, quem per vim admiserat, pia solertia vindicauit.

XII.

In Conuentu Mediolanensi vniuersam Italiam Arianæ factionis impetu laborantem, ac penè afflictam diuinè erigit, & sancti Athanasij causam omnibus alijs, præter paucos, oppugnantibus, summo patrocinio defendit.

XIII.

Constantij decreto in Conuentu Mediolanensi, ob perpetuum, constansque Fidei Catholicæ patrocinium, cum summo viro Dionysio Episcopo Mediolanensi, alijsque Episcopis in exilium pulsus Eusebius, virtutis suæ exquisitis cruciatibus, laboribusq; spectatæ, & probatæ palmam egregiã tulit.

XIIII.

Sanctus vir, excusso puluere, nullis Constantij Cæsaris minis, nec vero furentium Arianorum strictis gladijs perterrefactus, exilium, quasi ministerij sui officium, accepit.

XV.

Cauea ferrea conclusus, & Scythopolim in exilium missus, vbique locorum quò venit, rudes in fide catholica instruxit, labentes confirmauit; iterque eius, non nisi prædicatio erat contra Arianam hæresim.

XVI.

Scythopoli Iosephi Comitis domo piè exceptus à sancto Epiphanio visitatur, legationibus Plebis Catholicæ ex diuersis circumcirca Prouinciis, insignium fama virorum cum subsidio pecuniæ missis.

XVII.

A Patrophilo Ariano è Iosephi domo diuulsus, in ergastulum exiguum, & angustum concluditur, vbi genua contracta, humeros depressos, caput demissum perpetuò tenuit.

XVIII.

In Ergastulo epistolas egregiè dictauit, quibus Vercellensem, Nouariensem, Hypporgiensem, Derthigonensem Clerum, Populumque ad omne piè agendi studium excitauit.

Pro

XVIIII.

Pro Christi gloria ab summo schalarum Palatij gradu ad imum vsque Arianorum impetu furenter raptatus, verberibus grauissimè cæsus, rursus supinis pedibus, & iunctis à tergo manibus, conquassato capite, confractisque membris ad summum pertractus, perpetuo se in fide tuenda constantiorem præbuit.

XX.

Iterum, ac tertiò ad grauiores poenas amandatur exul in Cappadociam, & superioris Aegypti Thebas.

XXI.

Multis pro Christi gloria exanthlatis laboribus, præclara fidei confessione nobilis, ab exilio post mortem Constantijs reuocatur.

XXII.

Tunc triumphatorem suum Athanasium Aegyptus recepit; tunc Hylarium de prælio reuertentem Galliarum Ecclesia complexa est; tunc in reditu Eusebij lugubres vestes Italia mutauit.

XXIII.

Eusebius, priusquam in Italiam appelleret, quò res Ecclesiæ communi consensu corrigerentur, Alexandriam petit, diligenterque cum Athanasio ad decreta Concilij Nicœni stabilienda, de cogendo Concilio agit, ac demũ coacto interfuit.

XXIV.

A Concilio Alexandrino Antiochiam, & per totum Orientem ad restituendas collapsas à fide Ecclesias legatus mittitur.

XXV.

Eusebius partes Orientis peragrans infirmos in fide instar præstantis Medici, pariter & sacerdotis, ad integram valetudnem restituens, Orthodoxos omnes ad suas partes pertrahebat.

XXVI.

Ad Italiam versus, dum ab exilio redit, nauigans, & nauicularios doctrinæ Orthodoxæ præceptis erudire nunquam ne in nauigatione quidem prætermisit.

Romam

XXVII.

Romam ad Liberium Pontificem primum se confert, à quo charitate singulari exceptus, cum aliquot dies in Vrbe fuisset, demum Pontificio congressu in omnes partes constantissime agendi pro Christi Iesu gloria confirmatus Vercellas redijt. XXVIII.

Parenti, Pastorique Sanctissimo, omnium virtutum laude nobilissimo Episcopo, Catholicæ Religionis defensori perpetuo, ab exilio redeunti tota Ciuitas Vercellen. immortali gaudio exhilarata sese obuiam effudit.

XXIX.

Clerus, Populusq; Mediolanen. ex Sanctissimi Eusebij reditu omnibus lœritijs perfusus, & literis, & legatis publicis, & omni officio maximam ei gratulationem exhibuit.

XXX.

Et docendo, & lucubrando, & agendo resarciuit damna, ac detrimenta, quæ in turbulentissima Arianorum tempestate Insubria, Liguriaque acceperat: atque Auxentio præcipue Ariano Mediolani ferociter exultanti strenue aduersatus est. XXXI.

Clericorum instituta cum Monachali disciplina coniunxit, quo sanctius vita clericalis deuincta religiosè agendi vsu splendesceret. XXXII.

Theocnesti, Martyris Sanctissimi, nomine Deo summa fidelium pietate Basylicam Cathedralem exædificauit, quæ deinceps mirabiliter diuinitusque consecrata traditur.

XXXIII.

Non modo ad occasionem tollendam, qua populus Ariana inuidia seductus in eum peccaret, sed ardenti studio vacandi sibi & Deo, in montes Oropæ Bugellen. Ditionis, & vltra Padum ad Castrum Cridonẽse diuerso tempore secedit.

XXXIV.

Lachrymis, precibus, ieiunijs, inediæ, vigilijsque addictus, incredibilique manſuetudine, & summarum exultus virtutum ornamentis, omnium animos ad ardentissimum diuinæ charitatis studium inflammat.

XXXV.

Eloquentię laude, & diuinarum literarum scientia præ-

ADMONITIO.

EXpositis iam,quę ad S. Eusebij res gestas,& memoriam pertinebant, accedimus Diuina ope freti ad alteram promissi nostri partem, quæ est de reliquis Ecclesię Vercellensis Episcopis. Qua in re præfari illud visum est,multum debere nos Reuerendiss.Bonhomio,qui magnam sine dubio facem nobis prætulit ad hanc seriem contexendam,perbreui illa sua tabella, quam adiecit ad collectanea ædita de S.Eusebio; quamque nos ferè secuti sumus in ijs Episcopis referendis, quorum peculiarem alibi memoriam non inuenimus;cũ satius duxerimus pij,& docti Præsulis auctoritati subscribere, quam studio nouitatis aliquem loco mouere sine certa Scriptorum antiquorũ fide. Cæterum in supputatione annorum mirari nemo debet, si eam alicubi minus exactam, atq; adeò nullam penè viderit: quippe in re prorsus incerta diuinare noluimus cum periculo erroris, idque solum,quod inuentum est, nudè retulimus. Nam de quibus certiora nobis comperta fuerunt, ausi sumus intrepidè ab eadem tabella recedere, siue tempora,siue ordinem spectes; quod & ipsummet Reuerendiss. Bonhomium facturum fuisse nobis certo persuademus, si per vitam potuisset longiorem Historiam scribere, quam animo conceperat, & ad quam sibi illum quasi indicem,vtcumque comparauerat:in multis alioqui recedentem à vero, quod ei uiro perspectum adhuc esse non poterat. Primum enim,cum æditionem maturasset, vt in tempus Translationis S. Eusebij parata esset, notitiam satis idoneam minime accepit diuersis è locis,siue ob intelligentiũ hominũ defectum,siue ob tẽporis angustias, locorumq; distantiam, quæ quominus accuratè singula expenderentur,obstiterat.Præterea ex ipsismet Archiuij nostri scriptis error existebat, quibus Inuestituræ, seu Donationes alicuius certi Episcopi referuntur, quæ tempore tamen alterius fiebant, ob exceptam, & retentam sibi in ipsa Episcopatus cessione administrationem. Demum varietas Antistitum interdum fuit per ipsa,scilicet,tempora schismatis vniuersalis.Quæ cum omnia nobis commodius expendere licuerit in Vaticana Bibliothe

ca, & Regestis tum Camerę, tum Cancellariæ Apostolicæ, quæ inspicere, & considerare attentius ipsi voluimus; haud temerè sperare audemus relata hæc à nobis aliquanto accuratius esse ad Historiæ veritatem. Iam vero, illud quoque in hoc initio præmonere visum est, Nomina Episcoporum, quæ in perueteri pictura Ecclesiæ Vercellensis legi manifeste potuerunt, ea fideliter hic esse reddita numero, & ordine seruato, quo ibidem erant; vt memoria ad posteros perueniat eius lucis, quam ipsi habuimus, si quando, cum Dei gratia, veteri Basilica noua succedat. Vbi porro Nomina Præsulum certa desiderantur, numerum ex coniectura inuimus pro annorum varietate, cum verisimile non sit, adeo paucos ita longum tempus in Episcopatu fuisse. Laudationes autem attexere, & encomia visum non est, nisi fortè in Sanctis, qui publicis officijs à Vercellensi Ecclesia celebrantur, & parce admodum; cum illud tantum nobis proposuerimus, memoriam nostrorum Antistitum ab obliuione vindicare ad maiorem Dei gloriam, cuius etiam studio breuitatis in proferendis priuileggijs alijsq; scriptis nonnullis ad memoriam Episcoporum pertinentibus, satis habuimus cæteris ommissis indicare tantum initia, quæ Principes, & vt plurimum Antistites nominant, atque vt annorum ratio haberetur quo tempore scripta illa data essent adscribere. Quem laborem, qualiscunque tandem sit, speramus auctiorem fieri posse, si scilicet excitatis aliorum studijs, habeamus aliunde plura, quæ non dubitamus in cæterorum Tabularijs, & Monumentis reperiri; tametsi ea à nobis inspici minime potuerunt. Quod vt faciant, enixè rogamus, habituri gratiam, vt par est, si opus hoc, ope ipsorum, aliquanto perfectius aliquando dare possimus.

SAN-

II.

SANCTVS LIMENIVS Græcus Episcopus Vercellensis in S. Eusebij locum suffectus, S. Ambrosij in Concilio Aquileiensi Anno Domini 381. celebrato comes adfuit. 381

Et Conc. Generalib. tom. 1.

III.

S. HONORATVS Episcopus in Episcopis Vercellensibus Tertius numeratur. Cum enim aliquandiù Ecclesia Vercellensis ciuibus inter se disentientibus vacaret, Beati Ambrosij literis, & cohortationibus in S. Limenij locum summa consensione electus est. Quæ quidem literæ tempore Siricij Papæ datæ apparent ipso hæresis Iouiniani ortu, cũ in ijs S. Ambrosius non modo Vercellenses ad postulandum Episcopum, ad aliasque virtutes hortetur; sed eorum quoque errorem confutet, qui nullum dicunt esse abstinentiæ meritum. Quamobrem post Limenij, non Eusebij mortem, vt aliqui dixerunt, tamdiu vacasse sedem Vercellensem clarè patet. Sed quæ ad postulandum Sacerdotem attinent, hæc præcipue à Beato Ambrosio habentur.

Ambrosius seruus Christi vocatus Episcopus, Vercellensi Ecclesiæ, & ijs, qui inuocant nomen Domini Nostri Iesu Christi, Gratia vobis à Deo Patre, & Vnigenito filio eius adimpleatur in Spiritu Sancto.

S. Ambros. ep. ad Vercell. 82.

Conficior dolore, quia Ecclesia Domini, quæ est in vobis, sacerdotem adhuc non habet, ac sola nunc ex omnibus Liguriæ, atque Æmiliæ, Venetiarumque vel cæteris finitimis Italiæ partibus huiusmodi eget officio, quod ex ea aliæ sibi Ecclesiæ petere solebant, & (quod verecundum est) mihi inscribitur vestra intentio, quæ affert impedimentum. Nam cum sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut

quisquam acquiescere : vt inter dissidentes suscipiat hoc munus, quod inter conuenientes vix substineatur? Hæc est illa Confessoris institutio, hæc iustorum soboles Patrum, qui sanctum Eusebium, quem nunquam ante cognouerant, posthabitis ciuibus simul vt viderunt, & probauerunt, tantumque interfuit, vt probaretur, quantum, vt videretur? Meritò vir tantus euasit, quem omnis elegit Ecclesia: meritò creditum, quod diuino esset electus iudicio, quem omnes postulauissent. Conuenit igitur, vt sequamini exemplum parentum; præsertim cum à S. Confessore Eusebio institutos tanto meliores Patribus esse oporteat, quanto vos melior Doctor instituit, atque eruditit: modestiæque vestræ, & concordiæ insigne edere, vt congruatis assensu ad postulandum Sacerdotem. & paulo post.

Quod si in alijs Ecclesijs tanta suppetit ordinandi Sacerdotis consideratio, quanta cura expetitur in Vercellensi Ecclesia, vbi duo pariter exigi videntur ab Episcopo, Monasterij continentia, & disciplina Ecclesiæ? Hæc enim primus in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ mem. coniunxit, vt & in Ciuitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. hactenus Sanctus Ambrosius in longissima, & egregia Epistola, è qua plures etiam Canones, vt in sacris Pontificum Decretis apparet, emanarunt.

Ex officio SS. Vercell.

Post igitur tot dissensiones, Honoratus clara virtute Episcopus electus est. Is, vt docti viri, sanctissimique Martyris Eusebij fuit ab ineunte ætate discipulus, ita eximia illius imitatione clarus, vbi Episcopalis curæ, ac dignitatis munus suscepit, admiranda sollicitudine, castissimaque religione, & castitatis exemplo, cuncta ad Dei voluntatem diligenter administrare studuit. Quo enim tempore excitato omni terrarum Orbe hæresis Arianæ incendio per impietatis au-

ctores

ctores nihil ita impense curatum est, quam vt sanctissimæ Catholicæ Religionis memoria ex hominum mentibus deleretur, omnino ille diuino præsidio, cælestique constantia communitus, egregius Eusebij imitator, ac laborum socius, sanctissimo fidei vinculo cum eodem coniunctissimus, inuicta pietatis defensione, non minas, non carcerem, non exilium extimuit, quæ omnia pertulit admiranda religiosi animi virtute. In Episcopali vita, vt Dei minister Euangelij lege pietatem atque innocentiam perpetuo meditatus, omnium virtutum splendore præluxit. Fuit enim in oratione assiduus, spiritu feruens, ieiunijs, atque abstinentiæ deditus, humilitate præstans, Christumque Dominum indutus cœlestem in terris vitam egit. Fuit multorum illis temporibus doctrinæ, & sanctitatis laude insignium amicus, Paulini præsertim Nolani, & Ambrosij Mediolanensis; ad quem ægrotum 397
is ter Dei voce admonitus accurrit, eique sanctum Domini corpus præbuit, quo ille sumpto, confirmatis ad crucis similitudinem manibus, orans, animam Deo reddidit. B. autem Honoratus aliquot post annis, cum Ecclesiæ sibi commissæ sanctè præfuisset, meritis cumulatus ad præmium à Domino vocatus, in cælestem patriam abijt iiij. kal. Nouembris, quo die eius memoria publicis Ecclesiæ Vercellensis officijs celebratur. Eiusdem corpus in Ecclesia S. Eusebij honorifice conditum est, ad cuius sepulchrum hæc carmina inciſa reperta sunt.

Ex ipsius sepulchro.

Pontificis sancti cineres tenet Honorati,
Arca hominis vilis, quæ manet ingenio.
Hunc sanctum docuit, nutriuit Pastor Alumnus,
Egregius Martyr, Præsul & Eusebius,
Exilij pœnas, & carceres iste subiuit,
Discipulus charus, & socius pariter.
Ambo fide digni, meritis, & nomine fratres,
Cum Christo iuncti præmia summa tenent.
Tertius hanc Vrbis sedem tenuit Honoratus,
Antistes, cuius spiritus astra tenet.

Euse-

Euſebius Præſul primus, qui Martyr Alumnus,
Cælorum poſtquam regna beata petit:
Hic Pater eccleſiam docuit hanc dogmate recto,
Sermonibus complens, actibus ipſe ſuos,
Terris, ac cælo coniunctus vbique Magiſtro
Euſebio conſors, hic Honoratus adeſt.

IV.

Ex Eccleſia picturis.

S. DVSCOLIVS, ſiue COELIVS S. Honorato ſucceſſit Epiſcopus, cuius imago in Eccleſia Cathedrali à B. Euſebio tertia piè expreſſa cernitur. Huius quidem nominis poſtrema tantummodo pars ibidem legitur, videlicet. S. . . . colius. quod Reuerendiſs. Anteceſſor Bonhomius ad Coelij nomen retulit; ſed nobis S. Duſcolium appellari magis placuit, cum primę nominis partes deſiderari videantur: & in lytanijs S. huius Eccleſiæ, quas in fine huius operis reddemus, ſane vetuſtiſſimis (in quibus & alij Epiſcopi Vercellen. nominantur) appareat imploratum auxilium cuiuſdam S. Duſcolij, cuius quidē nomen alibi cognitum eſſe ignoramus.

V.

Ex Tabella Bonhomij.

DIDACVS Epiſcopus.

VI.

Ex Eccleſia picturis.

S. ALBINVS Epiſcopus, cuius Imago in Eccleſia ſexto loco collocata cernitur, Epiſcopalis officij cultor egregius Eccleſiam ſibi commiſsam pie, ac religioſe adminiſtrauit.

Ex off. SS. Vercellen.

Is vehementer optauit, vt Eccleſia à B. Euſebio in honorem Sancti Theocneſti Martyris ędificata, ipſique Euſebio poſtmodum dedicata, conſecraretur. Veruntamen cum ipſe ſenio grauaretur, cum Germano Altiſiodorenſium Epiſcopo, cuius ſanctitatis erat fama celebris; Rauennam Vercellis iter habente, vt ipſam conſecraret, ſummopere egit.

quod

quod, cum primum inde redijſſet, ille ſe rite facturum promiſit. Factum eſt autem, vt Rauennæ Beatus Germanus in Domino obierit. Qua audita re ſollicitus Paſtor, Eccleſiæ, quam ab illo conſecrari expetierat, dedicationem (vt ritus eſt) ſolemniter inſtituit, itaque eam ingreſsus cereos recte, atque ordine de more diſpoſitos accendi iuſſit; qui magna cum ſpectantium admiratione accendi nullo vnquam modo potuerunt, licet id ſæpius, omnique adhibito alimenti ſubſidio attentatum eſſet. Qua fanè re animaduerſa Epiſcopus dedicationis functionem in aliud tempus differre, atque alij Epiſcopo reſeruare conſtituit. Interea cum S. Germani corpus Rauenna aſportatum non longè abeſſe nunciatum eſſet, effuſa vndique obuiam fidelium multitudine, per Epiſcopum alijs Sacerdotibus adiuuantibus Vercellas ad Eccleſiam delatum, ſimulatq; in prima illius parte conſtitit, ſtatim cereæ faces diuinitus, mirabiliterque accenſæ ſunt, Cuius rei admirabilitate perſpecta Epiſcopus, promiſſi, quod illi iam fecerat memor, id ab eo cum mirifica ſanctitatis ſuæ teſtificatione diuinitus præſtitum eſſe animaduertit. Quare ſacris peractis, expoſitaque pluribus re mirabiliter geſta, populo fœſtum Conſecrationis diem indixit. 435

Hæc res diuina antiquiſſimis Eccleſiæ tabulis deſcripta, parietibuſque Eccleſiæ veteris depicta, ac firmiſſima conſtantique traditione planè comprobata eſt. Verum quod ad tempus ſpectat, Vincentius Belluacenſis in ſpeculo hiſtoriali, & Iacobus de Voragine, alijque in vita S. Germani hoc diuinum miniſterium ad S. Euſebij tempora retulerũt; ſed ipſos hallucinatos facilè dixerim, ne forte credamus alterum tunc temporis Euſebium præter primum; ac XII. Epiſcopum in ordine ſediſſe, quem tamen nullum reperimus. Nos vero hanc hiſtoriam ad S. Albinum referimus, quia temporum habita ratione circa ea maximè videtur accidiſſe. *Vinc. Bell. in ſpec. Iacobus de Voragine.*

V. I. I.

S. IVSTIANVS, ſiue, IVSTINIANVS (vt in Codice Bibliothecę Vaticanæ manuſcripto legitur) Epiſcopus in Con- *Ex Concil. Generalib. Tomo 2. & alibi.*

Concilio Mediolanen. sub Eusebio Archiepiscopo anno Domini 451. contra Eutychianam hæresim habito, clarus.

451

VIII.

Ex Tabella Bonhomy. S. SIMPLICIVS Episcopus mira Dei gratia præditus, maximo sanctitatis splendore præluxit.

IX.

Ex Ecclesia picturis. MAXIMIANVS nonus in ordine Episcopus in Ecclesia numeratur.

X.

Ex Tabella Bonhomÿ. S. LANFRANCVS Episcopus, omnium virtutum ornamentis excultus, vitæque sanctitate clarus.

XI.

Ex off. SS. Vercellen. S. AEMYLIANVS in Hispania Libyj, quod Aragoniæ Oppidū est, loco humili natus, à Felice Episcopo ad religionem eruditus, Christianæ pietatis studio vehementer exarsit, quo ardore inflammatus, vitæ Religiosæ (cuius disciplina erat eo tempore quam florentissima) exercitationi deditus, quò liberius in rerum diuinarum contemplatione conquiesceret, abiecta rerum humanarum omni cura in Heremum se abdidit. Quo in loco propositis sibi Sanctorū Patrum exemplis, incredibili abstinentia, assiduis vigilijs, frequentique ieiunio carnis impetum, atque effrenatam corporis petulantiam repressit: omni præterea disciplinæ genere varias restinxit cupiditatum illecebras; orationi autem addictus in primis magnam diei, ac noctis partem precando consumpsit. Idcirco vitæ sanctissimæ genus quadraginta ipsis annis in Heremo consequutus est magna cælestium virtutum suarum testificatione.

Peruagata sanctitatis, qua vir Dei prælucebat, in om-

bus

nes partes fama, Vercellenſium Epiſcopus diuino conſilio factus eſt: vere epiſcopalis vitæ inſtituta ità ſuſcepit, vt nihil, vel in cultu pietatis, vel in manſuetudinis lenitate, vel in charitatis offitijs, vel denique in diſciplinæ Euangelicæ ſtudio prætermiſerit. Itaque præclaræ ſuæ inſtitutionis exemplis à vitiorum colluuione, peccandique conſuetudine homines auertit, eoſdemque rurſus accendit ad omnem virtutem. Porrò euangelica illa chriſtiani animi demiſſio, & humilitas in eo eluxit maxime. Ad ſui autem paſtoralis offitij munus is attentus, inſignes illas contemplationis, & actionis partes, quæ Epiſcopi propriæ ſunt, exequutus eſt diligenter, excultus item diuinis ornamentis, & meritis multis ornatus, Eccleſię valde admodum illis temporibus profuit, Romę ad Cõcilia III. IV. & VI. quæ Symmachus Põtifex Annis 501. 502. 504. habuit, rei Chriſtianę publicæ 501
cauſa venit; inde Vercellas ad Eccleſiam ſuam redijt, quam 502
multis annis cum ad Dei voluntatem piè adminiſtraſſet, ſanctimoniæ, & rerum mirificè diuinitusque geſtarum laudę 504
clarus, quieuit in Domino.

Eius corpus cum humi diu occultatũ latuiſſet (ab anno ſci licet, 1181. quo XVI. Kalendas Iunij tranſpoſitionem B. Aemiliani Epiſcopi ab Euſebio decimo fuiſſe factam habetur in antiquo Kalendario Vercellenſis Eccleſiæ, quæ eius translationis illo ipſo die memoriam agit) demum Dei voluntate inuentum, in Eccleſia Cathedrali honorificè, & piè reconditum eſt magna Cleri, & Populi frequentia: eiuſque dies feſtus in tota Diocceſi Vercellenſi iij. Idus Septembris quotannis celebratur. *Ex Eccleſia Kalend. ve tuſtiſſi.*

Extat etiam de hoc ſancto Sermo S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, qui vtrum ſit in libro ſermonum, quem Ioannes Tritthemius Abbas Spanehimenſis in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ait ſe vidiſſe, certo quidem affirmare non poſſumus: cum inter Iſidori opera liber ille non circumferatur; ſed tamen quia aſſeruatur in Tabulario antiquiſſimo Eccleſiæ Vercellenſis, ipſum hic reddi voluimus.

IN NATALI S. ÆMYLIANI EPISCOPI Vercellensis Sermo B. Isidori.

VIR ecclesiasticus & crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet, & dispensationem ecclesiastici ordinis ex Dei voluntate, si peruenerit, nolens quidem, sed humiliter gubernandam suscipiat: multis enim interficit Sathanas fraudibus eos, qui vitæ, & sensus vtilitate præstantes, præesse, & prodesse alijs nolunt. Et dum eis regimen animarum imponitur, renuunt, consultius arbitrantes otiosam vitam degere, quam lucris animarum insistere. Qui tam decepti agunt per argumentum Diaboli fallentis eos per speciem boni: vt dum illos à pastorali officio retrahit, nequaquam proficiant, qui eorum verbis, atque exemplis instrui poterant. Sancti viri nequaquam occupationum sæcularium curas appetunt, sed occulto ordine sibi super impositas gerunt: & quamuis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant, sicut hic glorioſus pastor, & Pater ÆMYLIANVS fecit, quas quidem summopere si licet vitare, festinant, sed timentes occultã Dei dispensationem, suscipiunt quod fugiunt, exercent quod vitare nosscuntur. Intrant enim ad cor, & ibi consulunt, quid velit occulta voluntas Dei, seque subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant ceruicem cordis iugo diuinę dispensationis, sicut fecit iste Beatus pastor Vercellensis suam Ecclesiam gubernando, & suum populum vitæ verbo imbuendo. Nam tam doctrina, quam vita clarere debet Ecclesiasticus doctor. Doctrina sine vita arrogantem reddit; vita sine doctrina inutilem facit: sacer-

dotis

dotis prædicatio operibus confirmanda est: vt quod docet verbo, instruat exemplo: vt fecit hic pater, & pastor ÆMYLIANVS, qui populũ suum prius vita docuit, postea & doctrina. Vera est enim illa doctrina, quam viuendi sequitur forma: nam nihil turpius est, quàm si bonum quod quisque sermone prædicat, opere, & exemplo negligat: tunc enim prædicatio vtiliter * perfertur, quando vita efficaciter adimpletur. Vnusquisque Doctor & bonæ actionis, & bonæ prædicationis habere debet studium, prout habuit iste sanctus pater ÆMYLIANVS. Nã alterum sine altero non facit perfectum: sed precedat iuste bene agere, vt sequenter possit bene docere: sicut in numismate metallum, & figura, & * ponderis inquiritur: ita in omni Doctore ecclesiastico quid sequatur, quid doceat, quomodo viuat. per qualitatem metalli doctrina, per figuram similitudo patrum, per pondus humilitas designatur, qui vero ab ijs tribus discrepauerit, non metallum, sed terra erit. Qui ad regimen præficitur, taliter erga disciplinam subiectorum præstare se debet, vt non solum auctoritate, verum etiam humilitate clarescat: sed tamen ita sit in eo virtus humilitatis, ne dissoluatur vita subditorum in vitijs, atque ita authoritas adhæreat potestati, ne per * timorem cordis seueritas existat immoderationis. Hæc est sacerdotibus vera discretio, quia nec per libertatem, nec per humilitatem remissi sint. Hinc est, quod iste Reuerendus Pastor Vercellensis, & pater ÆMYLIANVS, & alij sancti patres, & pastores cum multa constantia redarguerent etiam Principum vitia: in quibus cum summa esset humilitas, loco tamen necessario liberè transgressores iustitiæ increpabant. Aliquando etiam subditis nos oportet animo esse humiliores, quoniam cum sa-

* profertur

* pondus

* tumore

Ita subditorum iudicantur à nobis, nostra Dominus iudicat. Agnoscat igitur Episcopus conseruum se esse plebis, non Dominum; verum hoc charitas exigit, non conditio, non omnibus vna, eademque doctrina est adhibenda, scilicet, pro morum qualitate diuersa exhortatio erit Doctorum. Nam quosdam increpatio dura, quosdam vero exhortatio corrigit blanda: sicut periti Medici ad varios corporis morbos diuerso medicamine seruiunt, ita vt iuxta vulnerum varietates medicina diuersa sit: sic & Doctor Ecclesiæ singulis, quod congruit, doctrinæ remedium adhibebit, & quid vtique oporteat pro ætate, pro sexu, ac professione annunciabit. Non omnibus ea, quæ clausa sunt, aperienda sunt; multi sunt enim, qui capere non possunt; quibus si indiscrete manifestentur, statim aut detrahunt, aut negligunt: prima quidem prudentiæ virtus est, eam, quam docere oporteat, existimare personam. Rudibus quidem populis, seu carnalibus plana, atque communia, non summa atque ardua prædicanda sunt, ne immensitate doctrinæ opprimantur potius, quàm erudiantur; vnde & Paulus Apostolus ait: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. carnalibus quippe animis, nec alta nimis de cœlestibus, nec terrena conuenit prædicari, sed mediocriter, vt initia eorum, moresque desiderant edoceri. Coruus dum suos pullos viderit albi coloris, nullis eos cibis alit, sed tantundem attendit, donec paterno colore nigrescant, & sic illos frequenti cibo reficiat: ita & Ecclesiæ Doctor strenuus, nisi eos, quos docet, viderit ad suam similitudinem pœnitentiæ confessione nigrescere, & decore seculari depositio, lamentationis habitum de peccati recordatione induere, vtpotè

adhuc

adhuc exterioribus, hoc est carnalibus, non aperit intelligentię spiritualis profundiora mysteria; ne dum audita non capiunt, prius incipiant contemnere, quàm venerari mandata cœlestia. Aliter est agendum erga eos, qui nostro committuntur regimini, & offendunt; atque aliter cum ijs, qui nobis commissi non sunt: qui si iusti sunt, venerandi sunt; si vero delinquunt, pro sola charitate, vt locus est, corripiendi sunt, non tamen cum seueritate. Sic ij, qui nobis regendi commissi sunt, prius docendi sunt seniores plebis, vt per eos infrapositi facilius doceantur; vnde & Apostolus: hoc (inquit) commenda fidelibus hominibus, quia idonei sunt & alios docere. Ingenij boni Doctoris est incipere à laudibus eorum, quos salubriter obiurgatos corrigere cupit; sicut Apostolus ad Corinthios facit, quos à laudibus inchoat, & increpationibus probat, sed erant apud Corinthios, qui ex laude, & increpatione digni essent, ille verò * indiscretè sic vtraque omnibus loquitur, vt omnibus vtraque conuenire videantur. Hic vero Pastor, & Pater Beatus ÆMYLIANVS sic plebem docuit, vt populum sibi creditum, & vita doceret pariter, & doctrina. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

XII.

S. EVSEBIVS II. Episcopus duodecimo loco in Ecclesia collocatus S. Eusebij Prędecessoris exemplo, muneris Episcopalis partes summa diuinæ charitatis testificatione agere studuit. *Ex Ecclesiæ picturis.*

XIII.

S. CONSTANTIVS XIII. Episcopus sorores duas virginalem vitam prędare colentes Deo religiosè dicauit. *Ex Ecclesiæ picturis & Tabella Bonhomij.*

S. FLA-

XIV.

Ex Ecclesiæ picturis.

S. FLAVIANVS XIIII. in Episcopis Vercellensibus numeratur, cuius admiranda virtus quam extiterit, hi versus, qui in lapide inciſi ad eius sepulchrũ adhuc in Eccleſia Vercellenſi ſpectantur, planè teſtatam reddunt: quos & ſi factos ſine arte, atque alicubi obſcuros, & mutilos, tamen ob antiquitatis reuerentiam, & quia viri ſancti facta repræſentant, percharos habemus, atque hic reddere auſi ſumus.

Ex eius sepulchro.

FLAVIANI Antiſtitis reſonant præconia vitæ.
Caſto pollens corpore ſummę faſtigia Archæ.
Lilijs ſeu vernantibus artus conſeruans ab aluo.
Intemeratąque celſo de ore vehens membra.
Induſtria ſenſuum ditatus munere amplo,
Specioſa proceraque compta forma geſtantem.
*Ameniorque exiſtens præclaris moribus *febris.*
Cunctis in ſe linquentibus facinus funditus parcens.
Nec reuocans priſca memoriæ mentis delicta,
Inſignem geſtans opem moribus patientię arcem.
Polens, & exiguis dapes porrigere multas.
Tantaque farinæ quæ, o quanta inſunt gratię opes.*
Cordi luſtrans abdita cuncta faſtigia Poli.
Tanquam arcus gradiens mente æthera pulſat.
.... qui in ſeculo annos plus minus XLVI.
.... vocatus a Domino deliquit mundi procella,
.... receſſit ſub D. VII. Kal. Decembris Ind. iiij. Fæliciter.

XV.

Ex Tabella Bonhomij.

S. VEDASTVS Epiſcopus, vir ſuo gregi forma viuendi factus vitæ laboribus, atque ſtudio ſanctitatis.

TIBE-

XVI.

TIBERIVS Episcopus XVI. in Ecclesia expressus. *Ex Ecclesia picturis.*

XVII.

N. Episcopus desideratur. *Ex Surio Tom. 1.*

Circa hęc tempora accidit insigne illud Miraculum, quod Vercellis à S. Mauro discipulo S. Benedicti factum est, vt in eius vita, quam recitat Surius legitur: ex qua etiam narratione videri facile poterit, quam singulari charitate Clerici Vercellenses seruos Dei exciperent, eorumdemq; conuersationem expeterent.

XVIII

BERARDVS Episcopus decimo octauo loco in Ecclesia collocatus cernitur. *Ex Ecclesia picturis.*

XIX.

S. PHILOSOPHVS Episcopus XIX. in Ecclesia numeratur, Christianæ vitæ, & pastoralis curæ exemplis, illustris. *Ex Ecclesia picturis.*

Huius sepulchrum adhuc in monte Catinario inuisitur miraculis clarum.

XX.

BONOSVS Episcopus Ecclesiæ Vercellensis XX. *Ex Ecclesia picturis.*

XXI.

N. Episcopus desideratur.

XXII.

CIRILLVS Episcopus, cuius imago vigesimo secundo loco numeratur. *Ex Ecclesia picturis.*

DA-

XXIII.

Ex Ecclesia picturis. DAMIANVS XXIII. Episcopus.

XXIV.

Ex Tabella Bonhomij. AEMYLIANVS II. Episcopus ob pietatem ab Arispertó Primo Longobardorum Rege maximis priuilegijs donatus est.

XXV.

N. Episcopus desideratur.

XXVI.

Ex Ecclesia picturis. CELSVS XXVI. Episcopus in Ecclesia numeratur, de quo nullum aliud monimentum reperitur, quàm versus quidam Acrostici eius sepulchro inciſi, indocti quidem, sed perchari tamen.

Ex Tabulis Eccles.

SCE. MM. Celsus Eps claro ex genere ortus.
C ustos Gregis Ouium Christi.
E xemplo boni operis docuit cunctos viam salutis,
L iquit mundum, coelitem sed scandens ad sedem
S acerdotum Deus Ecclesiæ optimè loquax, & altor.
V oluntate sincerus, ac benignitate præcipuus.
S olers ad audiendum, clemens ad ignoscendum,
E t cui diuina opitulabatur gratia semper.
P risscorum dogma seruans patrum perfecta
I nduſtria adhesit mentis mox vt vitaret obiecta.
S tolam sanctitatis meritis adeptus Pastor fidelis.
C orpore integer Christo se dicauit in cunctis,

Opifex

O pifex boni ſic euangelica implet præcepta,
P uroque corde Chriſto ſeruauit inuiolabilem fidem
V itam tranſegit inſæculo L I V. menſes V I I.
S ed migrauit ad Dominum ſub Id. Aprilis Ind. V III.
Gratianus ſuus carus, & leuita ornauit amãdo ſepulchrũ.

XXVII.

THEODORVS Epiſcopus Concilio Mediolanenſi interfuit, quod Manſuetus Archiepiſcopus contra Monothelitas Anno Domini 679 habuit, in quo decretum de duabus Chriſti voluntatibus confectum eſt. Epiſtolis ſuper hoc ad Concilium V I. Conſtantinopolitanum ad Conſtantinum ab vnoquoque Suffraganeorum miſſis. *Ex Conc. Generalib. tom. 3. & alibi.* 679

XXVIII.

N. Epiſcopus deſideratur.

XXIX.

MAGNENTIVS XXIX. Epiſcopus in Eccleſia numeratur. *Ex Eccleſia picturis.*

Rodobij inſignis Oppidi Diæc. Vercellẽſis in Eccleſia olim S. Valeriano dicata, cui erat annexum ſatis amplum Monaſteriũ Ordinis Cluniacen. funditus deinceps dirutũ, poſtmodũ Pij V. decreto S. Stephani Papæ & Martyris titulo nuncupata, & in Cõmendã ipſius religionis ſub Iure patronatus nobilis Agatiorum familiæ Vercellen. erecta requieſcit ſacrum corpus S. Valeriani Epiſcopi Africani, de quo plura Victor Vticen. lib. primo perſecutionis Vuandalicæ. Quod Ticinum vnà cũ S. Auguſtini Epiſcopi Ipponẽſis corpore ex Africa circa hęc tẽpora tranſmiſsũ, haud irrationabiliter conijcitur; illincq; è monaſterio S. Maioli inſigni eiuſdẽ ord. Cluniacenſium monaſterio Rodobienſi conceſſum atque translatum pridie Nonas Ianuarij. Qui dies feſtus ab illius partis incolis

ante nouissimam Ecclesię dedicationem, in honorem eiusdem Sancti semper celebratus est.

XXX. XXXI XXXII.

N.N.N. Episcopi desiderantur.

XXXIII.

ex Ill. Bar. Ann. tom. 9. 761

RVDOLPHVS Episcopus Concilio Romano sub Paulo I. Anno 761. habito præsens adfuit.

XXXIV. XXXV.

N.N. Episcopi desiderantur.

XXXVI.

Ex Ecclesia picturis.

KRISANTVS XXXVI. Episcopus in Ecclesia legitur.

XXXVII.

Ex Ecclesia Kalend. ueteri.

BVRINGO Episcopus, qui obijt V. Idus Decembris.

XXXVIII.

ex eodem.

GISVS Episcopus, cuius iussu Bebo Presbyter Historiam Eusebij Cesarienſis, quæ extat, Archiuio reponendam transcripsit.

XXXIX.

ex eodem.

CVNIBERTVS Episcopus qui obijt XIII. Kal. Maij.

In Kalendario Ecclesiæ vetustissimo notantur dies obitus trium superiorum Episcoporum, sed de annis, quibus vixerint, vel obierint, nulla penitus mentio habetur. Quare nos aliquo hic loco illos reponere statuentes, illud sanè animaduertendum putauimus, vt tempore, quo Franci dominarentur,

narẽtur, cum Francica hæc nomina viderentur, reponeremus. Cæterum quod ad locum ſpectat, hunc nobis præcipue ſuaſit, quod inter Kriſantum, & Nottingum, Epiſcoporum aliquorum monimentum vllum minime extaret.

Porrò conſilium noſtrum hac in re illud fuit, vt horum Epiſcoporum memoriam non negligeremus, nec rei pluris tribueremus, quam veritas conſentiat, quoad ſaltem certior res ipſa fiat.

XXXX.

NOTTINGVS Epiſcopus Germanus, Caroli Magni familiaris, auguſtiſſimi Monaſterij Hirſaugienſis Fundator, aliarumque rerum egregie geſtarum laude clarus, de cuius fundatione a Ioanne Trithemio Abbate Spanebimenſi in Chronica Hirſaugienſi hæc præcipue habentur.

FVNDATIO MONASTERII HIRSAVgienſis facta per Erlafridum Comitem, & Nottingum filium eius Epiſcopum Vercellenſem Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXX. 830

Ex Abbate Trithemio in Chron. Hirſaugen.

SCripturus, auxiliante Deo, hiſtoriam inſignis Monaſterij Hirſaugienſis, operæprecium arbitratus ſum ab eius prima fundatione exordium ſumere, & quæ cauſa mouerit ipſos fundatores, vt hanc rem aggrederentur, demonſtrare. Erat eo tempore, quo Ludouicus primus Romanorum gubernabat Imperium, Erlafridus Comes de Calue, vir diues, & potens apud Imperatorem, qui habebat filium NOTTINGVM nomine, virum in omni doctrina ſcripturarum eruditum, qui propter ſcientiam literarum, ac vitæ honeſtatem ſub Carolo Magno Imperatore Patre Ludouici, Epiſcopatum Vercellenſis Eccleſiæ fuerat

consequutus. Is postea quã Ecclesiam suã aliquandiu secundum Canonicas sanctiones probe rexisset, in dulcem visendi patriam cupidinem incidit, ad quam ne vacuus remeasse videretur, cogitare cœpit, quid muneris præcipue secum adduceret, quo eam faceret clariorem. Impetrauerat sane non longe antea maximis precibus corporis sanctissimi Præsulis Redicianorum Aurelij Armenij reliquias iaspide, & auro preciosiores, quas ad Ecclesiam suam Vercellensem deferens in mausoleo pulcherrimo, quod præparauerat, collocauit. Itaque visurus patriam, dulcesq; genitores, hunc thesaurum inferre Germanis cum deliberasset, inter spem, metumque fluctuans animo, ne forte illatio hæc aut sancto displiceret Aurelio, aut si à Populo Vercellensis Ecclesiæ perciperetur, à suo cogeretur resilire proposito, rem omnem diuino consilio terminandam commisit. Vnde tota mente conuersus ad Deum, ac iuxta sepulchrum Sancti noctem ducturus insomnem, prouolutus in terram, ipsum Aurelium Diuum Christi amicum ardenti compellabat desiderio cum lachrimis dicens: Sancte Pater Aureli, decus meum, vnicumque post Deum animę præsidium meæ: tibi expando desiderium famuli tui, quod Deo coniunctus nescire non potes: rogo te per diuinum amorem, qui te mihi venerabilem Ecclesiæ, celebrem ægris medicum, vnũq; cum Deo sanctum, & immortalem efficit, ne me diutius in hoc ambiguo fluctuare permittas, sed exaudi me famulum tibi prostratum, & doce me, vt sciam quid agere debeam secundum Dei, tuamq; voluntatem. Cumq; orans diutius in lachrimis, humiq; iacens perseueraret, fatigatus oratione, protractuq; vigiliarum paulisper obdormiuit. Cui dormienti mox diuus Aurelius, Pontificalibus indutus, splendidior sole astitit, NOTTINGVMq; compellãs ex nomine,

dixit:

dixit: Salus tecum frater Nottinge; surge, ne fleueris, ad hoc veni, vt pergam tecum in Germaniam, plures ibi Christo adducturus Populos iam corpore mortuus, quam si adhuc viuus inter gentes prędicans miraculis coruscarem. Quo cum veneris, ibi Monasterium seruorum Dei constitues, vbi cœcum nobis obuium subito conspexeris illuminatū, quibus dictis euanuit. At vero NOTTINGVS *venerandus Episcopus de somno consurgens, lætus mox in ipsa nocte sarcophagum clam aperuit, ipsasq; reliquias sacratissimi Præsulis Aurelij in domum Episcopij sui occulte deportauit; mausoleum diligentissimè reclusum multo tempore Vercellenses delusit, hospitem se habere putātes, quem nō habebant. At vero* NOTTINGVS *Episcopus paratis omnibus, quæ ad rationem itineris pertinere videbantur, ex familiaribus suis fideliores quosdam in comites tantæ peregrinationis assumpsit, imponensq; iumento sarcinulam sacras Aurelij reliquias continentem, itineris duce optimo comitatus, propositam viam ingreditur.*

Quumque Germaniam fœliciter ingressus, post aliquot dies patriam intraret suam, magna suorum lætitia exceptus est; & quantum inferret regioni thesaurum, absens scriptis, præsens verbis, & operis exhibitione, patri, cæterisque omnibus terræ incolis demonstrauit. Verum quum non esset in promptu locus munere benedictionis consecratus, tanto hospite dignus, nolentesq; tam venerabiles Reliquias vltra triduum commorari inter homines peccatores, communi deliberare consilio cœperunt, vbi habitaculum Christi Confessori pararent. Erat eo tempore non procul à Castello Comitis Erlafridi Cappella in honorem Sancti Nazarij consecrata, quæ nomen Monti, in qua sita fuerat, indidit vsque in præsentem diem. Placuit

itaque

Itaque omnibus, qui consilio intererant, corpus Sancti Patris Aurelij in ea reponere, donec de conueniẽtiori loco prouideretur. Postera die mane consurgentes NOTTINGVS *Episcopus cum familiaribus suis, & Erlafridus pater cum altero filio fratre Pontificis* Ermefrido, *coniunctis quamplurimis ex nobilioribus, & plebeijs, quos Comes ob honorem tantorum hospitum fecerat esse præsentes: dispositisq; necessarijs pro reuerentia Sancti, Corpus sacrum per decliuum montis circumgyrando ad præfatam Diui Nazarij Cappellam ferre cœperunt. Venientes autem in eum locum, vbi hodie Monasterium Sancti Aurelij constructum est, ecce cæcus quidam in medio turbæ sacris reliquijs obuius clamare cœpit voce magna dicens: Illumina me sanctissime cultor Dei Aureli precibus tuis, quemadmodum pollicitus es. Ad quem Episcopus dixit: Vbi Sanctus Aurelius promisit se te illuminaturum? qui ait, Domine hac nocte dormienti mihi in angustia mentis meę Sanctus iste apparuit dicens: Cras in nomine Iesu Christi illuminaberis, & dixi, Domine quis es tu? Ego sum, inquit, Aurelius Episcopus nouus hospes in Germania, quem filius Domini tui Comitis* Erlafridi *pridem adduxit. His dictis iterum clamauit: Sancte Aureli adiuua me, vt videam te: statimq; aperti sunt oculi eius, & vidit perfecte: omnes autem, qui aderant viso tam insolito miraculo magnificabant Deum, dicentes: Laus tibi Domine Iesu Christe fili Dei viui. Dixitque vnusquisque ad cohærentem lateri suo, O quam magnus est iste sanctus, qui etiam cæcos illuminare potest.* NOTTINGVS *vero Episcopus dixit* Erlafrido *Patri, Hũc pater locum Sanctus Aurelius in mansionem elegit; concitatoq; gradu montem ascendentes, Pontifex immolato redemptionis nostræ sacrificio, reliquias sacras ad*

locum

locum præparatum reposuit. Deinde post dies paucos NOTTINGVS *Episcopus exposuit Erlafrido patri, & Ermefrido fratri votum, quod dudum Sancto Aurelio hortante in somnis mente conceperat: monens, orans, & obtestans eos, quatenus ob amorem omnipotentis Dei in honorem B. Petri Principis Apostolorum, & sancti Aurelij Episcopi Monasterium seruorum Dei construerent in eo loco, vbi cæcus fuerat illuminatus, promisitq; se pro viribus suis huic negocio non defuturum. Et facile quidem persuasit non modo suis exhortationibus, sed vel maxime consideratione miraculi, quod viderunt. Erat enim Pater alioquin deuotus, timens Deum, & ministrans pauperibus, qui iamdudum terrenis cœlestia præposuerat, & ob id nihil hæsitans, se cuncta facturum vnà cum Ermefrido filio sine mora Episcopo promisit. Igitur NOTTINGO Põtifice ad Ecclesiam suam Vercellensem post duos menses reuerso, Erlafridus Comes promissionis non immemor suę, Monasterium Sancto Aurelio in loco præmisso ædificare cœpit; & eodem anno quo sacratissima eius pignora per filium fuerunt allata, inchoauit: qui fuit ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi octingentesimus trigesimus annus, Ludouici Imperatoris Primi * septimus, à transitu Sanctissimi Patris nostri ducentesimus, atque trigesimus primus: quod celeri perfectione in septem annis fœliciter consummauit. Copiam si quidem tam lapidum, quam lignorum ingentem terra illa profert, ita vt non sit opus illa aliunde, quemadmodũ nobis cũ, adduci. Interea dum hęc agerentur,* NOTTINGVS *Reuerendiss. Antistes, vt tã sancti operis se faceret participem, magnum pondus auri, argentiq; misit ad patrem, quo non solum incæpti operis iuuaretur intentio, verum & Monachis inibi coadiuuandis de vitæ ne-*

cessarijs

ceſſarijs ad ſeruiendum Deo liberius prouideretur. Miſit etiam Cruces aureas, argenteaſque & Calices in miniſterium diuini cultus: libros quoque, & diuerſa ornamenta ad decorem domus Domini: quæ omnia ad hæc nouerat eſſe neceſſaria. Erlafridus autē cœpto perſtabat in opere, neceſſarium iudicans conſummationis gratia feſtinare; nè ſi, quod non videbatur impoſſibile, ipſe præuentus morte decederet, opus imperfectum aut tardius perficeretur, aut intermitteretur penitus. Nam & ſi Ermefridus filius cooperator patri in hoc opere ſancto extitit, non tamen propter iuuenilem ętatem tantus amoris diuini zelus in ipſo ardere videbatur, quantum tale negocium requirebat. Hactenus Tritthemius.

A quo paulo poſt fit mentio, quemadmodū Erlafridus, & Ermefridus Nottingi pater, & frater, Monaſterio quāplurima Caſtra, & Villas de proprio munifice attribuerunt: quam donationem Otgarius Moguntinen. Sanctiſſimi Gregorij Papæ IV. & Ludouici Imperatoris nomine bāno perpetuæ ſtabilitatis communiuit. Item vt à Rabano Abbate Fuldenſi, in quo monaſterio morabantur eo tempore ducenti, & ſeptuaginta Monachi, Lindbertus Abbas cum quindecim monachis Hirſaugiam miſſus eſt ad cænobiticam diſciplinā inſtituendam. vtq; Eccleſia, quæ cum monaſterio Anno DCCCXXXVII perfecta eſt, anno ſequenti Ind. prima menſe Septembris eſt conſecrata, ac dedicata SS. Petro Apoſtolo, ac Aurelio Epiſcopo ab eodem Otgario Moguntinenſi Epiſcopo aſſiſtentibus quatuor alijs Epiſcopis; cui cōſecrationi an Nottingus interfuerit, incertum habebatur.

Narratur præterea vita S. Aurelij Armeni Epiſcopi Redicianorum, in qua ciuitate recepit Dionyſium Mediol. a Conſtantio in exiliū miſſum, quem ſępius conſolabatur, qui Dionyſius, cum ex hac vita eſſet migraturus, ab Aurelio petijt, vt quamprimum eius corpus ad Eccleſiam Mediolanen. referret, quod paucos poſt annos, Reliquijs arte deſiccatis, Beato

Ambroſio

Ambrosio Episc.cũ omni Clero, & Populo in eius occursum extra Vrbem properante, Glorioſus inuexit: & ipse Aurelius Anno Domini CCCLXXXIII. Gratiano, & Valentiniano Imper att. VIII. Kal. Iulij. eadem die, qua S. Dionysius ante triennium decesserat, obijt Mediolani, eiusque corpus à B. Ambrosio sepultum ad latus S. Dionysij in Ecclesia Mediolani annis ferme CCCCXXXVII. mãsit, quousque Nottingus Vercellensis Episcopus magnis illud præcibus ab Archiepiscopo Mediolan. impetratum, Ludouico Imperatore ad suam Ecclesiam transtulisset.

Demum (addit) eo tempore floruisse quẽ dam Ioãnem Abbatem Vercellensem natione Scotum græcis, & latinis literis eruditissimum, qui primus omnium iubente Carolo Ludouici primi Imperatoris Filio libros S. Dionysij Areopagitæ in latinum transtulit.

De hoc etiam Episcopo aliquod extat obscurum satis monumentum in Priuilegio Caroli Crassi Lituardo cõcesso, vbi hæc leguntur verba: *Reddimus, & confirmamus Pontem etiam Nottingum, quem Nottingus Episcopus eiusdem Ecclesiæ mirabiliter super eũ equitando per legem recepit.* quæ eadem verba repetuntur etiam in Priuilegijs Corradi Anno M XXVII. & Henrici MLIIII. sed illorum tamen qui sit sensus, fatemur nobis adhuc nequaquam plane compertum esse. *Ex Impp. priuilegijs Eccl. Vero. datis.*

XXXXI.

NORTHAVDVS Episcopus, quem Romam contendisse cũ Ludouico Lotharij Imperatoris filio, ipsiusq; coronationi interfuisse cum Archiepiscopis Mediolanensi & Rauennati, alijsque quam plurimis Episcopis, auctor est Anastasius Bibliotecharius, qui eo tempore in humanis erat, & potuit præsens esse, vt refert Illustrissimus Baronius. *Ex Anast. Biblioth. & Ill. Baron. ann. 844.*

XXXXII. XXXXIII. XXXXIV.

N. N. N. Episcopi desiderantur.

XXXXV.

Ex Sigonio de Regno Italiæ.

ALDARGARDVS Episcopus Papiæ aderat, suumq; nomen cũ cæteris suffraganeis subscripsit, cũ Anspertus Archiepiscopus Mediolanen. Anno DCCCLXXVI. Nonis Ianuarij Carolo Caluo Italici Regni coronam in magno Episcoporum, Procerumq; conuentu ex veteri consuetudine detulit.

876

XXXXVI.

Ex Epist. de creat. Pontif. Tom. 3.

CONSPERTVS Episcopus, dum Populus Vercellensis varijs dissensionibus in Episcopi electione agitaretur, Ioãnis Pont. authoritate Ecclesiæ præficitur, varijs litteris, quas hic apponimus, ad Imperatores Carolum Mannum, & Crassum, atque ad Clerum datis.

EPISTOLA CLXXI. B. IOANNIS PP. VIII. Dilecto, ac spiritali Filio Carolomanno glorioso Regi.

MVltorum relatione didicimus, quod Ecclesia Vercellensis nunc valde turbata, & quotidianis commota scandalis consistat; dum in duas partes Populus pro Episcopi electione diuisus, alij vnum, alij vero alterum eligere, habereq; contendant, & cupiant, electumq; enormiter defendere vterque procuret. Sed quia iuxta nostri ministerij Apostolicum officium, & sollicitudinem omnium Ecclesiarum Dei, nobis in ipso Apostolorum Principe commissam, iuxta Canonicam etiam Sanctorum Patrum regulam dicentem: Si diuisio Clericorum, vel Populi extiterit, & de futuri electione Pontificis contentio fuerit obortа; nullum ex his duobus in Throno Episcopali

esse

esse aliquatenus consecrandum, sed alterius electionem fieri debere Sacerdotis Ecclesiæ proprio destitutæ Rectore, & ob id perturbatæ. Iura pacis ferentes, subuenire debemus. Regiam Excellentiam vestram rogamus, vt pro amore Dei, & Sancti Petri, ac nostræ Paternitatis dilectione ipsum Vercellensem Episcopū huic Nobilissimo viro Gosperto, videlicet, Venerabili Diacono vobis bene cognito, communiq; fideli nostro, ac vestro, quem pro Ecclesiasticis vtilitatibus in seruitium vestrum direximus, placido de præsentia modo tribuatis: quoniam verè cognoscimus hunc in omnibus tam ciuilibus, quam etiam Ecclesiasticis causis strenuum, atque vtilissimum fore, nobisque non mediocriter fidelissimum. Quapropter ad vestræ præsentis, & futuræ gloriæ augmentum, hoc vos nobis concedere petimus, hanc primam nostri Pontificij iustam petitionem, vestra Regalis alacriter perficiat magnitudo vt & nos vestram libenti possimus animo perficere voluntatem, Charissime fili, quoniam sic veræ dilectionis vnanimitate, pioqs amoris affectu, videbimur manere coniuncti, si nos ea, quæ cupitis, Apostolica dumtaxat perfecerimus auctoritate; & vos item vestro Regali iure nostri desiderij preces audire cum iucunditate procul dubio studueritis. Talem namque Progenitores vestros Inuictissimos Imperatores Augustos circa Decessores nostros sanctos, videlicet, Romanę sedis Antistites, habuisse dilectionem recolimus, vt quicquid ab alterutra parte petebatur, omni postposita occasione, mox efficaciter compleretur. Ita vero & nostra nunc Pontificalis à Deo conseruata Maiestas, & vestra Regia magnitudo sibimet debent placide facere viciſſim. Datum vt supra*, scilicet vj. Non. Maij Ind. xij. 879

* Episcopatum.

EPISTOLA CCXXII. B. IOANNIS PAPÆ VIII. Dilecto, ac spiritali Filio CAROLO Glorioso Regi.

REgiæ magnitudini vestræ notum esse volumus, Fili charissime, quia Anspertum Mediolanensem Archiepiscopũ in prima quidem Synodo in Ecclesia Beati Petri Apostoli habita pro suis euidentissimis negligentijs, & præsumptionibus, vnà cum Reuerendiss. Episcoporum cœtu regulariter excommunicauimus: sed mentem suam in superbiam erigens, non solum pro perpetratis veniam humiliter non quæsiuit; verum etiam ante audientiam, & nostram Apostolicam absolutionem, sacrum præsumpsit ministerium celebrare, atque contra sacros Canones, contraq; Regiam, & nostram Apostolicam voluntatem, Episcopum in Vercellensi Ecclesia enormiter consecrare presumpsit. Pro quibus, videlicet, tantæ temeritatis præsumptionibus, & ipsum Anspertum dudum Archiepiscopum in ea, quæ nuper acta est Synodo, omni Episcopali honore priuauimus, & eum, quem illicitè ordinauit Episcopum, decreuimus synodali iudicio depositũ esse ab ordine Episcopatus, intuitu tamen misericordię, in pristinum, quo erat antea, gradum reuerti. Porro Nos, secundum voluntatem, & petitionem Dilecti filij nostri Carolimanni glorioſi Regis hunc Conspertum Reuerendissimum, de quo iam olim vobis per vestrum fidelem missum innotuimus, in eadem Vercellensi Ecclesia, consentientibus omnibus Comprouincialibus Episcopis, Antistitem consecrauimus, quem petimus obnixe, vt pro amore Dei, & Sancti Petri, ac nostro, vestrę potentię brachio tueamini, & prout ei opus

fuerit

fuerit, dignum semper in omnibus prebeatis solatium. Regalem Excellentiam *vestram Dominus conseruet incolumen Charissime fili. Datum, vt supra,* scilicet xj. Kal. Octobris Ind. xij. 879

EPISTOLA CCXXIII. B. IOANNIS PAPÆ VIII.

Omnibus Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omni Clero, ac Primatis, omnique Populo Vercellensi.

HIS nostris Apostolicis literis vobis cognitum facimus, quia Anspertum dudum Archiepiscopum Mediolanensem pro suis multis præsūptionibus, & negligentijs iam olim vnà cū Sancta Synodo sacra communione priuauimus; sed ipse contra Canonica statuta, & contra nostrum Apostolicum, Synodicumque iudicium agens, ante audientiam, & absolutionem, ministerium sacrum agere, atque adhuc excommunicatus in hac Vercellensi Ecclesia vestra, quemdam virum Ioseph nomine, vt audimus, contra Regiam, & nostram Apostolicam voluntatem, Episcopum ordinare temere præsumpsit. Ideo & eundem Archiepiscopum, & hunc ipsum Ioseph inuasorem ac præsumptorem, non intrantem per ostium, sed aliunde, quasi furem ingredientem in ouile Domini, cum virtute sancti Spiritus, & auctoritate Beatorum Petri, ac Pauli Apostolorum Principum, nostroque Apostolico iudicio, vnà cum Synodali cœtu Reuerendissimorum Episcoporum omni Episcopali honore decreuimus esse priuatos, & alienos: tamen intuitu misericordiæ, decreto synodali statuimus iam satum Ioseph inuasorem Ecclesiæ vestræ de ordine Episcopali deiectum, in gradum, & ordinem quo prius exsti-

tit,

tit, omni modo reuerti. Nam cum præfatus Anſpertus dudum Mediolanenſis Archiepiſcopus eßet regulariter excommunicatus, aliquam vel minimorum in Eccleſia Dei conſecrationem graduum facere nullo modo potuit, quia quod non habuit, dare profecto nequiuit. Quapropter omnium veſtrum cognoſcat ſagacitas, & laudanda fidelitas, quoniam Dilectus, ac ſpiritalis filius noſter Carolomannus glorioſus Rex iſtius Italici Regni, ipſum Vercellenſem Epiſcopatum, more præceſſorum ſuorum Regum, & Imperatorum, conceſſit huic Conſperto Viro Nobiliſſimo præſentibus Miſsis noſtris, noſtramque Apoſtolicam clementiam ſuis eſt literis deprecatus, vt eum vobis Epiſcopum conſecraremus. Nos autem eius precibus inclinati, nolentes vos diù ſine proprij, ac legitimi eſſe cura Paſtoris, hunc ipſum Sanctæ Vercellenſi Eccleſiæ veſtræ, Apoſtolica dumtaxat auctoritate Epiſcopum conſecrauimus; dedimuſque vobis pro inuaſore illo iſtum Paſtorem; pro mercenario ignauo prouidum ſatis Rectorem, qui ſcilicet noſtris vos Apoſtolicis doctrinis admonitos, quaſi Populum Domini ſibi commiſſum more veri Paſtoris pabulo vitæ, perpetuæque ſalutis paſcere, atque in virga æquitatis, & manſuetudinis regere, vigilanti ſemper cura, & ſolicitudine ſolerter procuret. Quem itaque vos omnes vno voto, & pio affectu, quaſi Patrem, & Rectorem animarum veſtrarum, vt pote chariſſimi filij, vt recipiatis, præſenti ſtatuto noſtro iubemus: & abiecto, ac reprobato ſupradicto Inuaſore, hunc, quem ordinauimus vobis, habetote Epiſcopum. Nam magna vos laude dignos fore videmini, quod de B. Petri Apoſtoli conſecratione meruiſtis habere Antiſtitem; & hoc in augmentum honoris Eccleſiæ Vercellenſis ſine dubio proueniet, ſi vos deuota mente noſtrè

obtem-

obtemperãtis præceptis. Nos enim vestram cupientes salutem, ideo monemus, vt mente, & corpore salui esse possitis. Iubemus etiam omnes scripturas, vel dationes cuiuscumque tenoris, quas fecit de Plebibus, Cãsalibus, & Villis ipsius Ecclesiæ Vercellensis, nullam habere firmitatem, sed omnia, quæ fecit, esse iudicamus vacua, & inania, quia legitimus ipse non fuit Episcopus: & ideo quippiam dare non potuit: eum verò, qui ex his, quæ fecit, aliquid firmum esse dixerit, Ananiæ, & Sapphiræ anathemate feriendum fore censemus. Nam si cuiuslibet consilio, vel hortatu aliter facere, non de præsenti ipsum inuasorem abijcere studueritis, atque hunc, quem nos consecrauimus vobis, alacri cum voluntãte non receperitis, omni Ecclesiastica vos communione priuabimus, dignoque anathemate feriemus. Datum vt supra.

EPISTOLA CCXXXI. B. IO: VIII.

Dilecto, ac spiritali Filio Carolo glorioso, ac Excellentissimo Regi.

MVltiplices gratias vestræ referimus magnitudini, quia pro Vercellensi Episcopatu, in quo Nos Conspertum vnà cum Synodi decreto Episcopum ordinauimus, nostram libenter perfecistis voluntatem. De cætero autem, hoc est, Mediolanensi Archiepiscopatu, ò fili charissime, sicut nobis nunc mandastis, vt Anspertum Archiepiscopum, quem in Synodo pro nonnullis suis negligentijs, & præsumptionibus iudicauimus, reconciliare debere mus. Quod quidem nos pro vestro amore alacri mente omni modo perficeremus, si sententia damnationis, quam in eundem Archiepiscopũ protulimus, sub tenore aliquo non fuisset

set prolatâ. Dictum est enim, tamdiu eum fore ab honore, & ministerio sacerdotali suspensum, donec, auctore Deo, suam specialem nobis ad satisfaciendum exhiberet præsentiam. Et quia Ecclesię Dei priuilegium nos decet immutilatum solemniter conseruare, ne in aliquo Patrum terminos præterire videamur, contra statuta maiorum agere nequiuimus. Vnde benignitatis vestræ Excellentiam paterno affectu monemus, vt ob hoc, quod irreprehensibiliter agere non possumus, nullo modo turbemini; quoniam vestrã in omnibus cupimus pro honore perficere voluntatem.

879 Datum vt supra, scilicet, VIII. kal. Decemb. Ind. XIII.

Et quamuis in hac posteriori Epistola, Pontifex se excusset, quod Anspertum Archiepiscopum Mediolanensem Caroli præcibus non absolueret, parum tamen id distulit, cum anno sequenti XV. kal. Martij idem Pontifex Epistolas Anspertо dederit, in quibus confirmat Iosephi Episcopi Astensis ordinationem, qui alias contra Canones Vercellensis Ecclesiæ fuerat Episcopus constitutus.

XXXXVII.

LVVIDVARDVS Episcopus Annalium monimentis celebris Caroli Secundi Imperatoris Archicancellarius, quo munere reliqui Episcopi Vercellenses diu functi sunt.

Extant in Epistolis decretalibus Summorum Pontificum literæ Ioannis VIII. eidem Luuiduardo, in quarum prima pro Hieronymo Lausanensi Episcopo ad Carolum tunc Regem eum legatum constituit: in altera gratias eidem agit, quod dederit operam, vt in Italiam ad Ecclesiæ defensionem veniret. harum exemplaria hæc sunt.

EPISTOLA CCXLIIII. B. IO: PAPÆ VIII.

Reuerendissimo, & sanctissimo Liutobardo Episcopo Sanctę Ecclesiæ Vercellensis.

Dilectioni vestræ familiari quodam modo, pioque affectu, veluti fidelissimo nobis, mandantes committimus,

mittimus, vt recipientes hanc nostri Apostolatus Epistolam, legatione nostra Dilecto, ac spiritali filio nostro Carolo Excellentissimo Regi, pro Hieronymo videlicet, Lausonensi Episcopo, directa fungamini; vestroq; ingenti certamine, prudentique consilio ipsius Regis, magnitudinem admonere, atque exhortari magnopere studeatis; quatenus eumdem Lausonensem Episcopatum, illi iam olim diuinitus concessum, pro amore Dei, & nostro de præsenti reddere, & securiter, quasi suo fideli habere permittat. Nam eo viuente in alterius electione, vel Episcopali consecratione assensum nullo modo præbebimus; quin potius Apostolica hoc fieri auctoritate modis omnibus inhibebimus, ne contra statuta Patrum duo in vna videantur Ciuitate esse Episcopi. Qua propter nobis iusta mandantibus omni annisu, & voluntate fauere nullo modo prætermittatis, quominus nostræ voluntatis legatio apud Serenissimum Regem, salutis, & pacis Ecclesiasticæ per vestrum certamen effectum obtineat; quatenus eadem Ecclesia Dei proprio recepto Pastore, salua in omnibus, & quieta consistat. Dat. xx. Die Mensis Iunij Indict. xiij. 880

EPISTOLA CCLXXXX. B. IO: PAPÆ VIII.
Liutuardo Episcopo.

STudio tuo (quod cum spiritali filia nostra Imperatrice, sicut asseris, vt Domnus Imperator pro defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ ingrederetur Italiam habuisti) gratias egimus, & vt quod deest, stet, quod te minime latet, tua instantia perficiat, multum hortamur, quia tantum nobis necesse est, quantum docere non valemus. Vnde ita age, vt tibi magis, ac magis gratias re-

feramus, & in temporalibus commodis viciſſitudinem reddere inuitemur.

Coaſtis

Idē à Carolo ſecundo Imperat. quāplurimis Caſtris, & Oppidis munificētiſſime donatus eſt per Diploma quod incipit.

Ex Tabulis Epiſc.

In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Carolus, Dei fauente Clementia, Imperator Auguſtus ſi petitionibus fidelium noſtrorum maxime eorum, qui noſtro fideliter parent Imperio, aures Celſitudinis noſtræ accomodaremus, non ſolum Imperialem in hoc exercimus dignitatem; verum etiam æterni retributionis præmia inde nobis largiri procul dubio credimus. Quapropter cognoſcat omnium fidelium noſtrorum præſentium videlicet, & futurorum induſtria LITVARDVM Venerabilem Epiſcopum Vercellenſem, & dilectum Archicancellarium noſtram poſtulaſſe Serenitatem, vt Sanctiſſimo Patri Euſebio Deffenſori Chriſtianæ fidei aliqua de iure Regni noſtri conſideremus, & aliqua, quæ ab Imperatoribus & Regibus iam donata ſunt, & ſubtracta ſunt redderemus, ſtatimque nos poſtulationes illius ſaluberrimas agnoſcentes, decreuimus ita fieri.

Conceſſimus itaque Prædicto S. Euſebio Curtem, &c. Inter cætera *Pontem etiam Nottingum, quem Nottingus Epiſcopus eiuſdem Eccleſiæ mirabiliter ſuper eum equitando per legem recepit, &c.*

. . . . ad Vicem D. Littuardi Archicancellarij recognoui. Dat. xvij. Kal. Aprilis Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXII. Ind. XV. Anno Imp. 2. Actum Papiæ in Dei Nomine feliciter Amen.

882

Ex Tabulis Epiſc. Aſtē.

Auctor fuit, vt Imperator Anno DCCCLXXXIV. plurima in Eccleſiam Aſtenſem contulerit beneficia.

884

ex III Bar. ann. 884.

Eodem anno apud eundem pro ditanda Tungrenſi Eccleſia intercedit, vt apparet ex diplomate dato texto kal. Iulij

Ind.

Ind. 2. Anno Imp. 4. in Ciuitate Metis, cui Valdo Episcopus vice Littuardi Archicancellarij subscripsit.

Ab Imperatore, qui celebrato Ratisbone Natali Domini Italiam à Pontifice inuitatus, cum additurus esset, Littuardus pro quibusdam quærendis Romam mittitur. 886

Ex Hermanni Cron. in Tomo 1. antiquæ lectionis.

Eodem Anno Berengarius Dux Foroiulienſis cum Littuardo Episcopo dissentiens, Vercellensem Vrbem expoliat. *ex eodem.*

Imperator, habito post infirmitatem in Alemania Conuentu in Villa Vueiblinga Beringarium Ducem Foroiulienſem ad deditionem venientem, & Littuardo satisfacientem suscepit. 887 *ex eodem.*

Denique eodemet Anno DCCCLXXXIIIX. Carolus Imperator corpore, & animo præ cerebri intemperie deficiens, de Richardæ coniugis pudicitia (eò, quod familiariter cum Luuiduardo ageret) falso suspicatus, eam repudiat: at ipsa, quæ religiosissima fœmina erat, quamuis plusquam decennio Imperatoris consortio sociata esset, numquam se carnaliter miscuisse (id ipsum fatente Imperatore) protestata, ac se Virginem esse gloriata, in Andelahense Cœnobium Virginum iam pridem ob pietatem à se constructum perpetuo Deo famulatura sponte secessit; Imperatore paulò post à Regni Primatibus repudiato, ac secundum aliquos suffocato, & sic Reginæ, & Episcopi criminatio diuino iudicio falsa comperta est. 887 *Ex Reginone Hermanno Sigiberto & alijs.*

Huius glorioſissimi Luuiduardi tempore, ipso scilicet die S. Luciæ ab Arianis Cleri Vercellensis occisionem perpetratam fuisse, habetur ex Calendario vetustiss. Ecclesiæ Verc. *Ex Tabulis Eccles.*

Ad hunc Littuardum habet Trithemius de Viris Ill. & script. Ecclesiasticis scripsisse Notgerum Episcopum Leodiensem, cum adhuc Monacus esset in Cœnobio S. Galli, librum sequentiarum per circulum anni de festis, quem Nicolaus Papa Primus confirmauit, & in Missa decãtari concessit. *Ex Trithemio de Viris Ill & de scrips. Eccl.*

XXXXVIII.

LVDMARDVS, seu TRVSARDVS Episcopus Caroli quondam Imperatoris familiarissimus, & Consiliarius à *Ex Reginone, Sigonio, & alijs.*

secreto, Vngaris per Longobardorum fines debacchantibus (qui quamplurimos Episcopos, & Comites trucidarunt assumptis secum opibus, atque incomparabilibus thesauris, quibus, vltra quam æstimari potest, abundabat) cum effugere eorum cruentam ferocitatem omnibus votis elaboraret, in
901 eos insc:us incidit, ac mox interficitur: opes, quæ cum illo ferebantur, diripiuntur.

Hunc Ludmardum eundem esse, ac Luthuardum facile crederem, cum Regino Abbas Prumiensis, qui vixit anno DCCCCVII. ac proinde tempore huius Episcopi, in Chronico dicat, Caroli Imperatoris familiarissimum, & à secretis fuisse: nam vt diximus anno, quo Carolus mortuus est, viuebat Luuituardus Caroli Archicancellarius; accedit quod ex tabulis Ecclesiæ Vercellensis habetur, tempore gloriosissimi Luuituardi perpetratam esse occisionem Cleri Vercellensis, quod non potest intelligi, nisi de huiusmodi Vngarorum debacchatione: est enim verisimile simul cum Episcopo plures clericos aufugisse, in eosdemq; incidisse, quod autem nomen Ludmardus, pro Luthuardus mendose ab ijs, qui impressoriam faciunt sit scriptum, quodq; Trusuardus deinde appellatur à Sigonio, & nonnullis alijs, & in annum sequentem eius, quicunque tandem ille sit mors referatur, cum sint nouissimi auctores, non est cur magnopere moueamur, sed quoniam posset contra dici, potuisse Ludmardum, dum non esset adhuc Episcopus, familiarem Caroli Magni fuisse, & in Tabulis Ecclesiæ Vercellen. Luutualdus pro Ludmardus, pariter fuisse mendosè notatum, & proinde alium à Luuardo. Ideo hic fideliter vtrumque numerandum esse existimauimus.

XXXXIX.

Ex Tabulario Bugella.

SEBASTIANVS Episcopus, qui Monasterij Locedien. causam contra Garibaldum Nouarię Episcopum à Berengario Rege Longobardorum Papiæ obtinuit. In præsentia Domini Ioannis Episcopi Ticinensis & Grimoaldi Vassi, & missi Domini Regis singulorum hominum ad iustitiam faciendam,
901

dam, & deliberandam. Residentibus cum eis Garibaldo S. Nouarientis, Heginulpho S. Taurinen. Geroardo S. Dertonen. Ecclesiarum dominis Venerabilibus Episcopis, quampluribusque alijs comitibus, & iudicibus, vbi à Sebastiano ostensa fuit donatio dicti Monasterij à Serenissimo Rege, quod incipit

In nomine Domini Dei Æterni. Beringarius diuina fauente Clementia Rex. Nouerit igitur omnium fidelium nostrorum præsentium similiter, & futurorum industria qualiter Grimoaldus dilectus Vassallus fidelis noster petijt nostram Clementiam, postulans quatenus quodam Monasteriolum in honorem S. Archangeli Michaelis constructum, quod dicitur Laucedium Ecclesiæ Vercellensi Beati Eusebij, vbi Sebastianus Episcopus preesse videtur, in cuius persona constituti perpetua firmitate traderemus.

Signum Domini Berengarij Serenissimi Regis

Restusingarius ad Vicem Ardingi Archicancellarij recognoui. Datum octauo Idus Iulj Anno Incarnationis Dominicæ Nongentesimo primo Indictione tertia. Anno vero Regni Domini Berengarij Regis tertio decimo. Actum in Ciuitate Papiæ in Domini nomine feliciter Amen.

Ex hoc loco apparet, quanto sit antiquius hoc Monasterium, quam Sigonius existimauerit, qui anno 1019. à Bonifatio Montisferrati Marchione ædificatum scripsit; quod etiam confirmatur ex priuilegio Ottonis, qui eusdem meminit anno 999. fieri tamen potest vt Marchio ille fabricam aliquam insignem molitus ibi sit, vnde Sigonius ædificium pro ipsa Monasterij fundatione acceperit.

L.

DIDACVS secundus Episcopus Ecclesiam multis rebus sacris, Cruce præsertim argentea donauit. Anno

Ex Tabella Bonhomij, & ipsa crux, quæ extat.

Ex Frodoardo, & Ill. Baron. anno 924.

Anno 924. Frodoardus Hũnos, siue Vngaros Italiam cum depopularentur, Papiam cum 43. Ecclesijs succensisse, ipsiusque vrbis Episcopum cum Episcopo Vercellense, qui secum erat igne, fumoq; necasse ait. hic euentus est adeo similis illi, qui à Reginone anno 901. recensetur, quod si ab alijs, quam ab ipsis, qui in humanis tunc erant, scriberentur, maxime hereret animus, ne alter pro altero acciperetur, nam in hoc solo differunt, quod Episcopus Ludmardus 901. in itinere comprehensus necatur, hic vero igne, fumoque suffocatus esse dicitur, quæ quidem mors an Didaco, an alio Episcopo contigerit, haud compertum habemus cum eius nomen Frodoardus minimè exprimat.

LI.

Ex Ecclesia veteri Calend.

NORGANDVS Episcopus, quem Canonicas ordinasse, & huius Ecclesiæ ordines nobilitatis instituisse, habetur ex veteri huius Ecclesiç Calendario manuscripto diemque suum obijsse v. Kal. Martij.

LII.

Ex Tabulis Eccles.

ATHO Episcopus, Theologiæ fuit, ac vtriusque Iuris literarum peritissimus. Huius doctissimi Viri extant in quodam libro in Bibliotheca Vaticana, qui erat olim Archiuij Vercellensis, ac in alio, qui in eodem Archiuio hodieq; est, nonnulli sermones diuersis temporibus ab eo habiti, nec non Epistolæ, aliæq; lucubrariones, quæ hic tandumodo indicantur.

Sermones.

Ex Bibliotheca Vaticana & Ecclesia Tabulario.

In Aduentu Domini; incipit.	*Ad celebrandã Natiuitatẽ.*
In Natale Domini.	*Gaudeamus fratres chariss.*
In Calend. Octauæ Domini.	. . . . *Calen. Ianuarij.*
In Epiphania.	*Epiphania fœstum celebrã.*

De

De Ieiunio.	*Quo tu .... apparatus.*
In Capite Ieiunij.	*.....quærit cur non sexag.*
In Passione Domini.	*....passionem D. Nostri*
In Resurrectione.	*Hodie fratres chariss. diem.*
In Albis.	*Laudate Dom. omnes gẽtes*
In Ascensione.	*Dominus, & Saluator*
In festo Pentecostes.	*Pentecosten fratres chariss.*
In Natali S. Ioannis Baptistæ.	*Post Euangelicã lectionem.*
In Natiuitate eiusdem.	*Illius hodie* Natiuitatis.
In festo Sanctor. Apostolorum Petri, & Pauli.	*Hodierna solemnitas fratres.*
In depositione B. Eusebij Vercellensis Episcopi.	*De præcipuis fratres charis. solemnitatibus.*
In Assũptione B. Marię Virg.	*Assumptionem Glor. Marię.*
De Decollatione S. Io: Bapt.	*Magnif. Ioan. Præcursor.*

Epistolæ.

Cũctis fidelibus Ecclesię Vercellensis, contra eos, qui maleficijs inseruiunt, & eosdem colunt.	*Nuper in vigil. octaua.*
Cuncto Populo Vercellensis Ecclesiæ, cõtra eos, qui falsos Profetas venerari student.	*Noueritis igitur quia.*
Cunctis fidelibus eiusdẽ Ecclesiæ, cõtra eos qui sexta feria ludis vacantur, & conuiuijs abutuntur.	*Si enim sincero corde.*
Atoni Præsuli, vt nullus Cõmatrẽ suam ducat Vxorẽ, nec filius eius filiã ipsius.	*Deus Omnipotens qui &c.*

Gun-

Gunzonis Nouarienſis Eccleſiæ leuitæ ipſo Athoni, de eodem. } *De eo, quod celſitudo veſtra.*

Ambroſij Presbyteri Eccleſię Mediolanen. ipſo Athoni, de eodem. } *A veſtra ſanctitate, &c.*

Athonis eidem Ambroſio. >

Quid ſint Presbytere, vel Diacone. } *Deuotus in Chriſto, &c.*

Itẽ Sacerdotib. Eccl. Vercell. >

De continentia. > *Incontinentiæ.*

Eiſdem de eadem. > *Quæ ſæpius vſurpantur.*

Epiſcopis Ill. vt ſacerdotes, vel qui in ſacris Ord. ſunt obſides non dent. } *Nouit charitas veſtra.*

Dom. Valdoni Epiſc. quod Regibus ſit parendum. } *Multos veſtra charitate.*

Attonis Polipticum, quod perpendiculum appellat cum quo noxia redarguere, & honeſta ſancire decet, Reuerendo Viro Fulano cum ſcholijs.

Eiuſdem Canones, ſeu ſtatuta Vercellenſis Eccleſiæ excerpta ex Concilijs, & epiſt. decretalibus, quorum hæc ſunt capita.

Cap. 1. *Admonitio Pontificis ad Presbyteros, qualiter erga ſubditos agant.*

Cap. 2. *Retractio eiuſdem, & de ordinis diſcretione bonaque vitæ exhortatione.*

Cap. 3. *De ignorantia euitanda, & doctrina ſeruanda.*

Cap. 4. *Vt omnes fidem Catholicam memoriter teneant.*

Cap. 5. *De negligentia cauenda, iuſtitia amplectenda, & vita emendanda.*

Quibus

Quibus armis diabolus, & vitia expugnentur. Cap.6.
Quod Sacerdos Missam solus nequaquam celebret. Cap.7.
Quod Sacerdos Missas, visi in sacratis ab Episcopo loci non præsumat celebrare. Cap.8.
Quod diuina Misteria studiosè celebrentur. Cap.9.
Item ex eisdem. Cap.10.
Vt fœminæ ad Altare non accedant. Cap.11.
Vt fœminæ sacrata vasa, vel pallas non contingant. Cap.12.
Vt nullus præsumat quelibet ex sacris illicitè vsurpare. Cap.13.
Vt vestimenta ecclesiastica sacrata, & honesta sint. Cap.14.
Vt clerici sæcularibus indumentis non vtantur. Cap.15.
Quando symbolum competentibus tradatur. Cap.16.
De tempore baptismi. Cap.17.
Qualiter baptismi sacramenta celebrari oportet. Cap.18.
Item de parvulis ægrotantibus. Cap.19.
Vt Presbyteri absque Diaconibus baptisma non celebrent. Cap.20.
Quę in ecclesijs recondi liceat. Cap.21.
Quod in ecclesijs conuiuia, & accumbitus non fiant. Cap.22.
Quod in ecclesijs sepulturæ non fiant. Cap.23.
Vt sepulturæ non vendantur. Cap.24.
Vt Dioceses singulis annis visitentur. Cap.25.
Qui Presbyteri Chrisma petant. Cap.26.
Quod singulis annis synodus celebretur. Cap.27.
Qualiter maiores Presbyteri ad Synodum veniant. Cap.28.
Quod singulis Kal. collatio in plebibus fiat. Cap.29.
Quod nullus absolutè clericus ordinetur. Cap.30.
Vt singulis ecclesijs Sacerdotes ordinentur. Cap.31.
De Clericis, qui loca, in quibus ordinati sunt derelinquũt. Cap.32.
De Presbyteris, qui pro alterius ecclesijs munera promittunt. Cap.33.

Cap.34. *Vt nullus oblationes ecclesiæ præter conscientiam Episcopi, aut det, aut accipiat.*

Cap.35. *Vt nullus Presbyter absque permisso Episcopi aliquid in eius parochia agat.*

Cap.36. *Vt nullus Clericus mulierem in consortio familiaritatis habeat.*

Cap.37. *Vt Clericus nullam conuersationem cum muliere post denominationem habeat.*

Cap.38. *Qualem professionem Presbyteri, & diaconi faciant quando ordinantur.*

Cap.39. *Item qualem Episcopus diaconem faciat.*

Cap.40. *Vt Clerici Episcopis suis obtemperent.*

Cap.41. *Quod nullus Clericus die Dominico aliquod seculare negotium audeat vindicare.*

Cap.42. *Vt Clerici ludioris spectaculis non intersint.*

Cap.43. *Vt Clerici per Plateas, vel andronas, aut nundines non ambulent.*

Cap.44. *Item Clericum scurrilem puniendum.*

Cap.45. *Item Clericus adulator, & proditor degradetur.*

Cap.46. *Clericus inter epulas cantans similiter.*

Cap.47. *Quibus negotijs se miscerí debeant.*

Cap.48. *Vt Clerici auguria non credant, nec diuinationes exquirant.*

Cap 49. *Vt Clerici vsuras non accipiant, nec layci quoque.*

Cap.50. *Vt Clerici vilius emendi, & carius vendendi vsum non habeant.*

Cap.51. *Vt Clerici secularem defensionem aduersus ecclesiasticam disciplinam non requirant.*

Cap.52. *Vt Clerici ecclesiastico Iudicio contenti sint.*

Cap.53. *Vt Clerici vigilijs non desint.*

Cap.54. *Vt Presbyter in nuptijs Bigami non prandeat.*

Quod

Quod ex collatis conuiuia non celebrentur. Cap.55.
Quod ad Agapen vocati ciborum partes non accipiant. Cap.56.
Quod Clericos orare, & legere, ac manibus laborare instanter conueniat. Cap.57.
Qui Psalmi in ecclesia cantentur, vel libri legantur. Cap.58.
Vt oratio Dominica quotidie proferatur. Cap.59.
Quod profundiores quæstiones penitus non astruantur. Cap.60.
Vbi, & qualiter Scolæ habeantur. Cap.61.
Quibus libertis manumittatur. Cap.62.
Quales ad ministerium Clerici eligantur. Cap.63.
De leiunio quadragesimali Clericorum. Cap.64.
Quod nulli Sacerdotum liceat canones ignorare. Cap.65.
Quomodo aduersa pro Christo patienter tolerare. Cap.66.
Quod cum excommunicato non sit orandum. Cap.67.
Quod oblationes discordantium, vel pauperes opprimentium refutandæ sint. Cap.68.
Vt ebrietas vetetur. Cap.69.
Qualiter singulis ferijs agendum sit. Cap.70.
Quod die Dominico stantes oremus. Cap.71.
Vt sacerdotes admoneant Populum qualiter festis diebus se habeant. Cap.72.
Quibus festis Populus Communicet. Cap.73.
Si Sacrificium per negligentiam ceciderit. Cap.74.
Si vomitum infra tres dies post communionem negligenter euenerit. Cap.75.
Vt energumeni non communicent & balnea in sacratis aquis non faciant. Cap.76.
Qualiter misteria baptismatis, vel Chrismatis custodienda sint. Cap.77.
Vt spectacula ludorum diebus festis non celebrentur. Cap.78.
Vt nullus Cal. Ian. Colere aut choros ducere præsumat. Cap.79.

Cap.80. *Vt quid ad ecclesiam conueniendum sit.*
Cap.81. *De doctrina virorum, & mulierum.*
Cap.82. *Item de indumentis eorum.*
Cap.83. *Vt natalitia seu nuptiæ in quadragesima non fiant.*
Cap.84. *De Ieiunio Quadragesimali.*
Cap.85. *Item de obseruatione eiusdem.*
Cap.86. *Item vnde supra.*
Cap.87. *De Ieiunio Quatuor temporum.*
Cap.88. *Ieiunium ecclesiasticum non dissoluendum.*
Cap.89. *Vt poenitentibus infirmis oleum sanctificatum non fundatur.*
Cap.90. *Qualiter Presbiteri erga pœnitentes agant.*
Cap.91. *Vt pœnitentes quotidie genua flectant.*
Cap.92. *Vt mortuos pœnitentes sepeliant.*
Cap.93. *Pœnitentes sæcularibus negotijs se abstineant.*
Cap.94. *Qualiter sponsus, & sponsa à Sacerdote benedicantur.*
Cap.95. *Quæ nuptiæ vitandæ sint.*
Cap.96. *Qualiter vnusquisque docendus sit.*
Cap.97. *Vt orationem Dominicam & symbolum memoriter teneant.*
Cap.98. *Vt hos Canones nullus refutare præsumat.*
Cap.99. *Vt quæ statuta sunt nullo modo immutentur.*
Cap.100. *Quod scire nos etiam oporteat, quæ in sacris scripturis recipienda sint, quæue refutanda.*

Item de præsſuris Ecclesiasticis liber, qui in tres partes distinguitur, cuius pars.

Prima de Iudicijs Episcopor. *Euang. nobis narrat Hist.*
Sec. de ordinationibus eorũ. *Illud paruo diligunt.*
Tert. de facultatib. Eccleſiar. *Præscientia.*

Huius

Huius Episcopi tempore Vgo, & Lotharius Longobardorum Reges Ecclesiam Vercellensem varijs, ac insignibus muneribus exornarunt, cuius donationis Diploma apud Canonicos S. Eusebij asseruatur, & hoc est initium. *Ex Tabulis Eccles.*

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Vgo, & Lotharius diuina Clementia Reges, sanctis, & venerabilibus locis diuino cultui mancipatis more bonorum Christianorum deuotissimè contulerimus nostri muneris suffragio certissime credimus nos, nostrumq; Regnum intercessionibus sanctorum cœlesti iuuamine semper subleuari, atque diuinis beneficijs sublimari. Quo circa nouerit omniũ Sanctæ Dei Ecclesię fidelium . . . . . dilectum, Illustremq; Marchionem nostram monuisse Clementiam, vt pro amore Dei omnipotentis, Sanctiq; Eusebij, qui prædicando fidem catholicam, palmam martirij est decentissimè consecutus Canonicis Vercellen. Ecclesiæ cui venerabilis Atto præesse videtur Episcopus. &c.

Vercellinos vero Portus per hoc præceptũ, veluti Prædecessores nostri pro amore ordinauerunt, ad vsum luminariæ Ecclesiæ Sancti Eusebij, in qua sanctissimum eius corpus requiescit, & ad Indumenta clericorũ ibi iugiter famulãtiũ.

Datum, & Actum Papię Idibus Augusti, anno Incarnationis Dominicæ DCCCC. XLV. Regni vero Domini Vgonis XX. Lotharij vero XV. Indictione tertia. 945

Gesoprandus Episcopus & Cancellarius ad Vicem Bosoni Episcopi, & Archicancellarij recognoui.

Demum pręclaram vitam egregia liberalitate concluſit. nam Ecclesiæ Vercellensi quicquid in Augustæ Valle possidebat, moriens testamento legauit. Ecclesiæ autem Mediolanensis Cardinalibus (ita enim appellabantur eius Canonici) & Presbyteris decumanjs Valles Belleniam, & Leuentinam. *Ex Tabulis Eccles. Mediolanen.*

INGO

LIII.

Ex Tabella Bonhomij. INGO Episcopus, Othonis Patris, & Othonis filij gratia florens.

Ex Tabulis Eccles. Auctor fuit, vt Andreas Leuita librum de receptione Monialium scriberet.

Ex Tabulis Eccles. Eius tempore celebris accidit corporis Beati Leuitæ inuentio, atque translatio, vt colligitur ex sequenti narratione, quæ asseruatur in antiquissimis Ecclesiæ Vercellensis tabulis. Quis porrò fuerit hic Petrus, quamquam certè satis affirmare non possumus, vulgo tamen arbitrantur, atque adeo ex tabulis ipsis colligitur eum fuisse, qui Diaconus B. Gregorij Magni prædicatur, idque confirmatur ex lectionibus, quæ ab Ecclesia Vercellensi in illius peculiari officio antequam ritu Romano eadem Ecclesia vteretur, recitabantur.

Ex off. Eusebiano antiquissimo.

Post igitur narrationē illius mirificæ testationis, qua B. Petruseius morte opera B. Gregorij in Spiritu sācto dictata esse comprobauit: de translatione eiusdem hæc subsequuntur.

DE TRANSLATIONE S. Petri Leuitæ.

COmponitur lapideo sepulchro intra B. Petri Apostolorum Principis Basilicam vltimo die Aprilis. His ita diuina dispensatione gestis . . . plurium . . . . . dilapsiones præfatæ Beatitudinis corpus à Romana sede ad Victumulum Castrum, antiquo vocabulo Cæsarianum dictum, clam adductum est: Et ideo vsque modo Romani sperant memoratum sanctissimum corpus incontaminatum reseruare, quod Victumulenses summa deuotione venerantes custodiunt. Cæterum ex credibili fama certa, & antiqua relatione, eiusdem loci naturalis munitio nequitia

quitia consentientium habitatorum prisco est destituta solatio, prælongam Mœnium, & Ecclesiarum euersionem Omnipotentis clementia in sanctorum suorum exaltatione mirabilis serui sui venerabile corpus, nulli penitus mortalium vbi esset, cognitum, Nobilibus Salutiolæ reuelare disposuit per quandam Matronam eis genere propinquiorem loci certitudinem aperientem; cui tanti thesauri reuelatio geminata fœlici visione innotuit. Cumque omnes vnanimes ad inueniendum precioſum corpus pariter laborarent, mole ageris super iiecti vndique defossa, monumenti ostium nullatenus aperire potuerunt: lapidem tituli cum parte Antri, cui affixus erat, frangendo diuidunt, proinde, cum nec sic sanctum corpus vllo modo possent habere, oblationum Denaria persoluentes, mox desiderij sui votum perficere meruerunt. huius itaq; inuentionis proceres nimis exultantes, & Omnipotenti Deo gratias agentes, ad ferendum sanctissimum corporis onus deuoti subeunt, & iuxta facultatis, & scientiæ modum munera persoluentes, cum Hymnis, & canticis ad Castrum conuexerunt Saluciolæ. Adueniẽs igitur INGO venerabilis Vercellen. Episcopus dedicauit Ecclesiam in B. Petri nomine & in ea miro celebritatis affectu glorioſi læuitę corpus collocauit, tot denarijs Ecclesia dotatur, ex quorũ redditibus Canonicorũ ordo legitimè institutus sufficienter sustẽtaretur.

Qualia ibi Miraculorum signa Beati Petri intercessionibus claruerint silentio præteriri minime debent. Inimica nanque inuidia turbatrix humanæ pacis, discordię semina iactauit inter prænominatos Proceres, & Bulgarenses non inferiores sanguine, propter Prædiorum communium inæqualitatem, furores bellorum concitauit, Insultus cuius viperei veneni vtraque pars imbuta, Agros

vasta-

vastauerunt, vineas radicitus euellentes, habitationes Rusticorum comburentes, omnem spem viuendi Incolis abstulerunt: at vbi hostes viderunt sibi finistre succedere, rubos circumquaque natos, hyemali frigore siccatos, vndique succenderunt: Incendia itaque subcrescentia, Cellariorum culmina lambere cœperunt, hostibus terga prę pauore vertentibus; Nam igni medietas Euri spiramine conuersa in inimicorum tecta, vniuersa illic procul distantia in Cineream redegit substantiam. Reliqua vero pars flammæ Castrum, & venerabile templum transuolans, habitata loca, & agrestia fere ad vnius Miliarij terminum præterijt. Precibus namque, & meritis glorioſi Confessoris hoc esse gestum plurimi adhac viuentes narrando testantur, asserentes niueam trium columbarum societatem per Orbem Castelli à principio certaminis lustrasse.

Quidam etiam mutus à Natiuitate de familia Saluciolienſium Dominorum, *dum in Ecclesia prædicta pernoctaret, & oraret, diuina clementia ipsum dono gemine loquelę visitauit, & alta voce Dominum glorificans Theutonicè, & Italicè absolute loquebatur.*

Quidam Rusticus, qui amissa mentis sospitate furioſus effectus erat, perductus ad Ecclesiam, de meritis S. Petri adeptus est sospitatem, cuius sancto Altari liber in famulum se tradidit.

Præterea vidua cum insanabili morbo teneretur, & quasi mortua haberetur, deuouit se B. Petri Ancillam, merito cuius illico sanitatem recepit.

Ex Ecclesia Veteri Calend. Tandem V. Idus Decembris obijsse Iugonem Episcopum habetur in Kalendario veteri Vercellen. sine tamen anni expressione.

ADEL-

LIV.

ADELBERTVS Episcopus. *Ex Tabella Bonhomy.*

LV.

PETRVS primus Episcopus, cuius intuitu Caresana a Regibus data est Canonicis. *Ex Ecclesia Kalend. veteri.*

Extat eius constitutio, quæ aliqua circa dignitates concernentia declarat Anno XM. Indictione iij. Episcopatus XII. quæ ob vetustatem vix legi potest. *Ex Tabulis Ecclesiæ.* 990

Interfectus est iussu Arduini Regis, vt priuilegia, quæ infra tempore Leonis Episcopi referuntur, apertè testantur. *Ex Tabulis Ecclesiæ.*

Dies autem obitus idibus Martij in Kalendario Veteri Ecclesiæ adnotatur.

LVI.

REGINFRIDVS Episcopus, cuius rogatu Otto iij. bona Canonicorum Vercellensium in patrocinium suscepit, vt sequitur.

IN NOMINE Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. OTHO *Ex Tabulis Ecclesiæ.*
diuina fauente Clementia Romanorum Imperator Augustus. Decet Imperatorem Ecclesias Dei semper reparare, vt inde à Domino digna valeat mercede remunerari. Quapropter omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium præsentium videlicet, ac futurorum nouerit vniuersitatis industria, qualiter nos interuentu nostri fidelissimi RAGINFREDI Venerabilis Episcopi Sãctæ Ecclesiæ Vercellen, ac pro Dei amore nostræq; remedio animæ cũctos Canonicos Sanctæ Vercellensis Ecclesiæ cũ omni familia, & possessione, omnibusq; rebus mobilibus, vel immobilibus ad Sancti Eusebij Canonicam iustè, & legaliter pertinentibus sub nostræ defensionis mundiburdio suscipimus. &c.

V. Datum

Datum vndecimo Kalendas Ianuarij. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVII. Indictione vndecima, anno autem tertij Othonis Regnantis decimo quarto, Imperij autem ij. Actum Papiæ in Palatio feliciter.

997

LVII.

LEO Episcopus, cuius causa ab Othone III. Imperatore singularibus muneribus Ecclesia Vercellen. donata est, Silvestro Pontifice intercedente, vt ex hoc diplomate apparet.

Ex Tabulis Episc. & Eccles. *IN NOMINE Sãctæ, & indiuiduæ Trinitatis. OTHO diuina fauente clementia Romanorum inuictissimus Imperator Augustus. Notum sit omnibus Dei cultoribus, & nostri Imperij fidelibus, quod pro respectu diuini amoris, & pro petitione optimi Vgonis nostri Illustrissimi Marchionis, supplicante Domino Papa Silvestro, & intercedente Heriberto nostro dilectissimo Cancellario. Concessimus LEONI fideli nostro Episcopo, suæq; sanctæ Vercellensi Ecclesiæ, vbi Sanctus Eusebius requiescit, &c.*

Signum Domini Othonis glorioßissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Heribertus Cancellarius vicem Petri Cumani, & Archicancellarij recognouit. Datum nonis Maij anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCIX. Indictione xij. Anno tertij Othonis Regis xv. Imperij tertij. Actum Romæ feliciter Amen.

999

Eodem anno, & die aliud simile concessit eidem Ecclesiæ, quod incipit.

Ex Tabulis Eccles. & Ciuitatis. *IN NOMINE Sãctæ, & indiuiduæ Trinitatis. OTHO diuina fauẽte clementia Imperator Augustus omnia, quæ iã dudũ data sunt Sancto Eusebio, confirmauimus, sed ea, quę sunt necessariora, & maxime, quæ Carolus Imperator*

Lituar-

Lituardo Episcopo, aut reddidit iterum, & iterum, ex nunc confirmamus, & successores nostros, id etiam agere rogamus, quod nos ipsi Imperatoris Caroli præcepta legimus, & litteræ in Ecclesia Sancti Eusebij à tempore Caroli super Altare Sancti Ioannis scriptæ testimonium donant, & ad veritatem recognoscendam fidem legentibus faciunt, ideſt. &c.

Item, *quod Berengarius, & Albertus Reges, quorum proprietates fuerunt, ei dederant, scilicet. &c.*

Item *Prædia Arduini filij Dadonis dedimus, adiudicauimus, quia hostis publicus adiudicatus Episcopum Petrum Vercellen. interfecit, & interfectum incendere non expauit, & prædia eorum, qui exploratu armis, & ipsis manibus huic crudelitati interfuerunt, ideſt filiorum Deperti de Casale, Gosini, & Arimini de Liuorno, Alberti, & Gribaldi de Milano: damus etiam prædia illorum, qui cum armis Ecclesiam Sancti Eusebij vastarunt, ideſt, Olrici de Brina, Roderici de Sandigliano, Arderici de magnaenolo serui sancti Eusebij, Alberti, & Guillelmi de Saluzzola, Astulphi, & fratrum eius de Valdengo, Vgonis de Palestro, Isac de Laneriano, & fratris eius confirmamus. &c.*

Item, *& omnia prædia Ghisliberti Archidiaconi Vercellensis, & hoc iuste, quia cum esset de familia Sancti Eusebij, inflatus diuitijs, Ecclesiam Vercellen. Dominam suam fregit, eamque cum dicto Arduino miserabiliter vastauit, similiter damus & prædia suorum generum, ideſt Mullianum de Causade, & Nigilonis de Cade, & Prædia parentum eius, & seruorum fugitiuorum, ideſt, Liprãdi, & Germani fratrum Iudicis districtus etiã, &c.*

Item *sicut Carolus Augustus fecit, confirmamus, & o-*

Item *omnia, quæ Liprandus Rex donauit, &c.*

Item *sicut Ludouicus Imperator donauit.*

Damus autem Sancto Eusebio omnia prædia Giberti Archipresbyteri, & hoc iustè, quia omnia, quæ de bonis Ecclesiæ extiterunt, iudicio Ecclesiæ, & sæculi, ad Ecclesiam, cuius fuerunt pertinebant. confirmamus Sancto Eusebio Abbatiam de Lucedio, sicut Carolus Augustus, & diuæ memoriæ genitor noster fecerunt. &c.

Item *confirmamus Sancto Michaeli de Lucedio, sicut Lotharius Augustus donauit, quando corpus Sancti Ianuarij ibi collocauit cum tem. &c.*

Datum nonis Maij anno Dominicæ Incarnationis
999 *999. Indictione xij. anno xv. Othonis Regis tertij Imperij iij. Actum Romæ fœliciter Amen.*

Signum Domini Othonis glorioſiſſimi Imperatoris.

Herimbertus Cancellarius vice Petri Cumani Archicancellarij recognouit.

Quę quidem priuileggia fuerunt à Silueſtro Pontifice confirmata, vt ex diplomate, cuius hoc initium eſt, habetur.

EX Tabulis Eccleſia. *IN NOMINE Trinitatis indiuiduæ, & æternæ SYLVESTER Papa ſeruus ſeruorũ Dei. Clareat cunctis ad præſens in vita degentibus, & impoſterum naſcituris. Quod honorabili interuentu, & digna petitione noſtri filij D. Othonis piiſſimi Imperatoris per noſtræ auctoritatis priuilegium confirmauimus. &c.*

Datum Romæ anno Dominicę Incarnationis
999 *DCCCC.XCIX.*

Neque vero hiſce collatis Eccleſiæ Vercellenſi benefitijs Imperator Otho pium animum, benefficumque depoſuit, ſed eundem alijs, quibus poſtea ſequentibus annis Eccleſiam donauit, non vulgariter auxit, quemadmodum ex his quorum partem hic reddimus, apparebit.

IN

IN NOMINE Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. OTHO *Ex Tabulis Eccles. & Ciuitatis.*
diuina fauente clementia Romanorũ Imperator Augustus. Notum sit omnibus nostris fidelibus, LEONEM *nostrum* Episcopum *nostram suppliciter exorasse clementiam, vt suũ Episcopatum pro Dei amore, & Sancti Eusebij, & pro sua laudabili fidelitate ita nostris publicis rebus, & donaremus, & datis ita confirmaremus, vt Sancta* Ecclesia *Vercellen. omni parte libera nullis feriatur aduersitatibus; sed secura Deo, Sancto* Eusebio, *nobis, & præsenti* LEONI Episcopo *suisqs succcessoribus seruiat, hanc iustissimam postulationem audientes. &c.*

Item *totum aurum quod inuenitur & laboratur intra Vercellen.* Episcopatum, *& Vercellen. Comitatum, & infra Comitatum Sanctæ Agathæ, & infra iura, & infra pertinentias Sancti Michaelis in laucedio, & infra alias terras ad Episcopatum Vercellen. & ad Comitatum pertinentes volumus enim, & sicut in nostram Cameram aurum solitum reddiderat ita deinceps in æternum in Cameram Sancti* Eusebij *deferatur, vt nostra memoria nõ deficiat ibi, & quod auro vitam æternam acquiramus. &c. Signũ Domini Othonis iij. Glorioſiſs. Romanor. Imp. Aug. Heribertus Cancellarius ad vicem Petri* Episcopi *recognouit.*

Datum Kalendis Nouembris anno Dominicæ Incarnationis M. Indictione XIII. anno tertij Ottonis regnantis XVI. Imperij vero v. Actum Romæ in Palatio Monasterio feliciter. Amen 1000

Quo quidem anno & mense Idem Imper. alienationes ab Ingone Episcopo iniquius factas reuocauit vt in diplomate, quod in Tabulis Ciuitatis asseruatur apparet. *Ex Tabulis Ciuitatis.*

Demum anno sequenti aliud concedit, quod incipit.

OTHO

Ex Tabulis Ecclesiæ & Ciuitatis.

OTHO secundum voluntatem Christi Imperator Augustus Sanctarum Ecclesiarum deuotissimus, & felicissimus, ac dilatator. Notum sit hominibus, quod interuentu, & petitione Vgonis Marchionis dilectissimi fidelis nostri dedimus Sancto Eusebio, cui Dominus LEO Episcopus præest, duas Curtes. &c.

Datum XV. Kalendas Februarij Anno Dominicæ In-
1001 *carnationis M. I. Regni verò Domini Othonis Tertij XVI. Imperij verò V. Indictione xiiij. Actum Romæ in Palatio foeliciter. Amen.*

Ad cuius Imperatoris imitationem Henricus Italiæ Regnum adeptus, erga Ecclesiam Vercellensem Othoni pietate non imparem se præbuit, vt eiusdem priuileggiorum initia hæc testantur.

Ex Tabulis Ecclesiæ.

IN NOMINE Sanctę, & indiuiduæ Trinitatis, HENRICVS Dei gratia Rex. Notũ sit omnibus Dei cultoribus, quod Curtem regiam, quę dicitur Horto, & Valletum elui & omnia eorum pertinentia Sancto Eusebio donauimus in perpetuum, secundum præceptum Domini Caroli Imperatoris tempore Lituardi Episcopi concessum, quod bene credimus, & melius fecimus, quia ipsum præceptum manibus proprijs tenuimus, & oculis vidimus, Dei gratia legimus, & præceptum etiam legimus de Valle elui à seniore nostro Othone Imperatore Sancto Eusebio concessum, damus igitur, & reddimus Sancto Eusebio Curtem, &c.

Datum, & Actum Ratisponæ anno Dominicæ Incar-
1007 *nationis MVII. Ind v. Anno Domini Henrici Regis v. Elibertus Cancellarius Vice Archicancellarij recognouit.*

Ex Tabulis Ecclesiæ.

IN NOMINE Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. HENRICVS diuina fauente Clementia Romanorũ Imperator Augustus. Notũ sit omnibus, quod nos donauimus, immo red-

didi-

didimus Sancto Eusebio Vercellen. Monasterium de Collia des Bornadæ, &c.

Item *bona omnium istorum, quorum nomina hic continentur lege Longobardorum nostra effecta sunt propria: quia isti postquam nobis fidelitatem iurauerunt corona Regni Longobardici, & diademate Imperij nobis iam attributa Ardonio Regni nostri ..... omnia vastauerunt, & maxime Eusebianam Ecclesiam miserabiliter afflixerunt. Ideo ergo, quia legibus perdiderunt, legibus nostra sunt, & quia legibus nostra sunt, legibus Sancto Eusebio omnia in perpetuo donamus. &c.*

Signum Domini Henrici inuictissimi, & glorioſissimi, & Serenissimi Imperatoris Augusti.

Valerius Cancellarius vice Ebardi Episcopi, & Archicancellarij recognouit.

Datum Anno Incarnationis Dominicæ MXIV. Indictione xij. Anno vero Regni Domini Henrici Imperatoris Augusti xiij. Imperij primo. Actum Solega fœliciter. Amen. 1014

Huius demum Episopi Leonis extat Epistola ad Clerum in tabulario Ecclesiæ antiquissimo, quam hic reddere voluimus; agit autem, vt nobis videtur de seruis malè libertate donatis ad seruitium Ecclesię reductis,

IN NOMINE DOMINI LEO Episcopus seruus Eusebij. Multitudo Populi, Copia Militum, decens frequentia Clericorum gloria est, & exaltatio Ecclesiæ Dei: sed emergit importabilis paupertas, & graue dispendium Domus Domini, quod serui Ecclesiarum aliquibus diuitijs inflati colluunt contra suos Dominos; per neglectum priorum, à Iugo seruitutis in libertatis nobilitatem transcunt, & ipsam Ecclesiam) ex cuius quæstu ditati sunt; &, vt esse*

Ex Tabulis Ecclesiæ.

**i. facti liberi inquinant nobiles, & ipsã ecclesiam.*

esse potuit, quantum ad eorum iudicium, liberati,) in derisu, & despectu habent. Itaque fit, vt Ecclesia Domini (cessamus de officijs nostris dicere) ipsis etiam, quod flentes dicimus, Architectis careat. Monstrum quamuis inauditum, sed Babylonicum, Domum Domini à laicis ditatam, & ab ipsis Rectoribus, immo Prædecessoribus paupertatam, terris, thesauris, & seruis spoliatam. Conueniat ergo Domus Domini, *& noue, & exquisito genere mortis* illos perdamus, qui peccata Populi manducant, & qui eleemosinas vendunt, & infrontati ab Ecclesia thesaurum Ecclesię tollunt. Hoc cum dolore videntes, quos, & quot potuimus in hac Ciuitate Vercellis incuria Pontificum à seruitio Ecclesiæ Dei (nescimus per quod malefitium, & captiosum laqueum* libertatis) à iugo subtractos, præsentia Iudicum, Ciuium affluentia residente & Militum, appositis Euangelijs, & libris legum; chartis contra leges factis, si quæ erant, legaliter incisis, nobiliter acclamante Populo, reuocauimus: quosdam etiam nullis chartarum colluuijs* infectos, sed tantum longo tempore, stultitia Prædecessorum nostrorum (qui fratres negligentes dicti sunt), non inquisitos ad pristinum seruitium reduximus. Finis Epistolæ desideratur.

* .i. conueniãt in vnũ qui sunt vt rè ex domo Domini.

* per mortẽ forsan intelligendũ per cinisẽ, qua ex libertate redigantur iterũ in seruitutem.

* quia isti serui suo iudicio se putabant iam liberos, & hac fraude decipiebãt præsules.

* quibus chartis, quasi primi leggys libertatis vtebãtur quæ erat colluuies ad inquinandos vere liberos.

LVIII.

Ex off. SS. Vercellen.

S. PETRVS huius nominis Secundus Vercellensis Episcopus, Patriæ Coelestis sitiens, præclaris Religionis studijs, se in Episcopali munere excitauit ad omnem eximiam pietatis Christianę exercitationem. Is aliquando peregrinationis Hierosolymitanæ religioso desiderio ductus Babyloniam venit; quo tempore Christianorum copiæ a Babyloniorum Rege magnam cladem acceperũt, in qua ipse cũ coeteris multis captus est. Itaque Vinculis, & compedibus adstrictus in Carcerem

cerem detruditur, vbi profusis Lacrimis continenter Deum orans, diuino admonitu in ea Regione Virum Sanctum Bononium nomine esse cognouit, cuius opera inde liberaretur.

Diuina igitur ope ad liberationis spem excitatus, supplíciter cum Beato Bononio egit, vt ad se veniret; qui perspecta huius religiosa pietate, cognitaque causa, quamobrem is, & coeteri Christiani eo loco in vinculis essent, huic & illis opem ferre non destitit. Primo enim id a custode impetrauit, vt sibi ad eos consolandos aditus, in carcerem patefieret, tum Regis domesticos, qui plurimum apud illum gratia possent, precatus, hoc effecit, vt Petrus Episcopus, & reliqui Christiani, è custodia liberarentur. Quamobrem data abeundi facultate, Beatus Antistes, quo magis ad omnem sanctæ disciplinæ exercitationem instrueretur, Monachum illum ad Religionis studia eruditum, suum socium, & comitem adhibuit.

Itaque Nauim Episcopus cum Bononio, coeterisque Christianis conscendens, Hierosolymam venit, vbi totus meditationis studio deditus, Dômini sepulchrũ in primis, & reliqua illius sacra rerum gestarum monimenta, ac singula loca sancta, quæ absens intima pietate coluerat, præsens veneratus est religiosè. Quibus omnibus incredibili mentis ardore perlustratis, inde Constantinopolim appulit: vnde Beatus Bononius cum Hierosolymæ desiderio ob loci Sanctitatem teneretur, eo redijt; indeque ad Sinai montem. Sanctus autem Episcopus Vercellas tandem peruenit ad Ecclesiam suã. Paucis verò post diebus, cum Abbas Locedien. Monasterij obijsset, hic Hierosolymam certos homines misit, qui illum Vercellas perduxerunt, cuius religiosa sanctaque consuetudine, & frequenti congressu Beatus Antistes, ità perpetuò vsus est, vt Bononij Socius vocitatus sit, in omni autem Episcopali officio, ad Dei in primis Religionem, ad Gregisque salutem Petrus Episcopus attentissimus, Ecclesia Vercellen. pie recteque administrata, Sanctitatis laude clarus, obijt in Domino Idibus Februarij; qui dies publicis Ecclesiæ Vercellensis officijs celebratur.

LVIIII.

Ex Sigonio de Regno Italiæ.

ARDERICVS Episcopus anno MXXVII. Die Resurectionis Domini Nostri Conradum Imp. designatum Ioanni XX.

1027 in Basilica Vaticana ad aurum diadema suscipiendum, vice Archiepiscopi Mediolanensis absentis functus, tanquam dignior suffraganeus, obtulit.

Ab eodē Cæsare, diplomate Augustali donatur, quod incipit.

Ex Tabulis Eccles.

IN NOMINE Sanctæ, & individuæ Trinitatis. CONRADVS ipsius dispensationis Augustus. Quia nullus absq; bonis operibus salvus potest fieri cōsequēs est, vt vnusquisq; fidelis laborās in agro Dei sine intermissione incūbat incremento ecclesiasticę rei, certū est enim, quia sicut exaltatur māter omnium viuentium, ita crescit merces omnium sibi seruientium. Quapropter vniuersorum eiusdem fidelium, tam præsentium, quam futurorum nouerit Charitas, quod nos ecclesiasticis profectibus incumbentes, ac dilectissimæ nostræ Gislæ Imperatricis, seu carissimi nostri filij Regis Henrici precibus pietatis aures accommodantes, per præsentis præcepti stabile firmamentum Sanctæ Vercellensis Ecclesiæ confirmamus omnia bona quietè tenenda, ac pacificè in perpetuum fruenda, quæ Sancto Eusebio olim collata sunt à nostris Prędecessoribus Regibus, vel Imperatoribus, seu quibuscumque fidelibus, sed vt mentes fidelium plenius gaudeant, & prædones cautius se custodiant. &c.

Item *Pontem etiam* Nottingum vt supra in priuileggio Caroli Crassi.

Quod vt firmius habeatur, & diligentius ab omnibus obseruetur, hoc præceptum ex nostra iussione factum nostris manibus subscripsimus firmauimus, ac sigilli nostri impressione

sione inferius insigniri fecimus, iussimus, & ARDERICO nostro fidelissimo Deo suspensante à nobis ordinato Sancti Eusebij Vicario ad perpetuam pacem conseruandam contulimus.

Signum Domini Conradi Serenissimi, atque inuictissimi Imperatoris Augusti.

Bruno Cancellarius ad vicem Arbonis Maguntini Archiepiscopi, & Archicancellarij recognoui.

Eodem anno, cum Bononius Abbas Locedienſis Vitæ ſuæ Sanctitatem moriens multis miraculis æditis comprobaret, Ardericus Romam contendens, omniaque fideliter Pontifici ſignificans, impetrat, vt Ara Bononio erigatur, cuius curam Pontifex Arderico a ſe conſecrato demandauit *Ex Sigonio de Regno Italiæ, & Eccleſ. Tabulis.*

Anno vero MXXXVII. Imperatorem Epiſcopos Cremonen. Placentinum, & Vercellenſem, tãquã Heriberti Archiepiſcopi Mediolan. ſectatores in Germaniam in exilium egiſſe in pluribus annalium monumentis legitur, quod non niſi de Arderico intelligendum eſſe cenſerem. *Ex Herimanno Cõtracto.* 1037

Demum 4. nonas Maij obijſſe in Calendario Veteri Vercellen. adnotatur, ſine tamen anni mentione. *Ex Eccleſia Veteri Calend.*

LX.

GREGORIVS Concilio Vercellis à Leone IX. Pontifice Anno Domini ML. habito (in quo Berengarius Clericus Andegauenſis Hæreticus, eiuſque liber de Euchariſtia damnati ſunt) interfuit, ſuumque Votum cum coeteris Epiſcopis ſanctè protulit. *Ex Tabulis Eccleſ.* 1050

Anno ſequenti in Conuentu, quod Pontifex Romam reuerſus poſt Paſcha habuit, ob varias accuſationes, Adulterij præſertim compertus abſens, & neſciens excomunicatus eſt, qui tamen non multo poſt Romam petens, in priſtinum ſtatum reſtituitur. *Ex Herimanno Cõtracto, Sigonio, & alijs.* 1051

Fuit idem Henricis III. & IIII. percharus, ab eiſque ampliſſimis Beneficijs honeſtatus eſt, primum, Anno MLIIII. diplomate, quod incipit. *Ex Tabulis Eccleſ.* 1054

IN NOMINE Sanctę, & indiuiduæ Trinitatis. HENRICVS Romanorum *Imperator precibus nostræ Coniugis, & cariſsimi noſtri filij* Regis Henrici *incumbentes, & pietatis aures accommodantes Sanctę* Eccleſiæ *Vercellen. confirmamus omnia bona tenenda, & pacificè poſsidenda, quæ Sancto Euſebio olim à prædeceſſoribus noſtris collata ſunt, ex quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, Monaſterium Sancti Michaelis in laucedio cum ſuis pertinentijs, Monaſterium Sancti Saluatoris de Beſsia cum ſuis pertinentijs, &c.*

Item *Pontem, etiam Nottingum*, vt in priuileggijs Caroli, & Conradi.

Confirmamus, ac ſigilli noſtri impreſsione inſigniri iuſſimus, & GREGORIO noſtro fideliſsimo Deo diſpenſante Epiſcopo, & Vicario Sancti Euſebij ad perpetuam pacem ſuæ Eccleſiæ conſeruandam contulimus.

Datum xv. Kalendas Decembris indictione vij. Anno
1054 *MLIV. ordinationis Imperatoris xxvj. Imperij vero viij. Actum Maguntiæ fœliciter. Amen.*

1061 Anno 1061. Gregorius vnà cũ Antiſt. Mediolan. Taurinen. Aſten. Nouarien. Brixien. & Lauden. à Nicolao Pontifice excommunicatur; habuerant enim apud fontanetum in Agro Nouarienſi oppidum duobus ante annis ſub Guidone Archiepiſcopo conuentum, in quo ex eorum communi ſententia Clericis vxores habere licere conſtituerant.

Eodem anno in Conuentu Baſilenſi electioni Cadaloi Parmenſis, qui Honorius II. dictus fuit, per Henricum Imp. factæ, aſſenſit, ex qua actione, alijſque haud dubiè colligimus, Gregorium hunc Epiſcopum in ſchiſmate, ſaltem aliquandiu, vixiſſe, cum, vt aperte patet, ſchiſmatici Imperatoris parti adhæſerit, & ab eo varijs muneribus affectus ſit. Vtrum autem denique reſipuerit, quemadmodum optandum eſſet, ita dolemus certò ſatis affirmari non poſſe.

Hen-

Henricus vero, Henrici Filius Patrem imitatus Anno MLXX. priuileggium conceſſit, cuius hæc pars eſt. *Ex ijſdem.* 1070

IN NOMINE Sanctæ, & indiuiduæ, ſummæque Trinitatis. HENRICVS tertius Dei gratia Rex omnibus Dei, noſtriſque fidelibus, tam futuris, quàm præſentibus notum eſſe volumus, quatenus nos pro Patris noſtri Domini Henrici Imperatoris animæ, nec non, & noſtræ remedio, interuentu quoq; Domini Herimani Pabebergenſis Epiſcopi nobis dilectiſsimo GREGORIO Vercellenſi Epiſcopo, noſtroque Cancellario cariſsimo, & Euſebianæ eccleſie, & omnibus eius ſucceſſoribus dedimus, &c.

Signum Domini Henrici Tertij inuicti Regis, & Principis.

Anno ab incarnatione Domini Noſtri Ieſu Chriſti MLXX. indictione viij. Kalendas Auguſti. Anno ordinationis eiuſdem Domini Henrici tertij Regis xvj. Regni vero eius xiiij. Actum & Datum in Vrtemburgen. Vrbe fœliciter. Amen. 1070

Eodem quoque Anno totius Lombardiæ Legatus Regius idem conſtituitur. *Ex Sigonio de Regno Italiæ.*

Anno MLXXIII. Comitia Gregorij VII. vti Italici Regni Cancellarius iuſſu Henrici comprobauit. *Ex Nauclero.* 1073

Ab eodem Gregorio Pontifice MLXXV. præcipitur ne Tedaldum in Mediolanenſi Eccleſia intruſum ordinare audeat. *Ex Epiſt. decret. Pontif.* 1075

Habetur ex Nauclero in Chronico anno MLXXVI. cum Pontifex Auguſtam Prætoriam ad Henricum accederet, vt poenitentem anathemate liberaret Vercellas vſque cum Cardinalibus venit, vbi ab Epiſcopo Loci clam reſcijt, Henricum hoſtili in ſe animo cum exercitu venire. quare Pont. omiſſo inſtituto Canoſsum Agri Regien. quod erat ditionis Matildis declinauit: vbi anno ſequenti Henricus tandem reſipiſcens, ad Pontificios Pedes ſe humiliter poſtrauit, ac veniam petijt: qua obtenta, & eo anathematæ liberato, *Ex Nauclero.* 1076 *Ex Sigonio de Regno Italiæ.* 1077

Epi-

Episcopus Citicensis, & Vercellensis, & Azo Marchio, allatis Sanctorum Reliquijs, sacramento confirmarunt Henricũ prestiturum, quæ Iureiurando Sanctissimo promisisset, quod de Gregorio intelligendum putarem,

Obijt Kal. Maij vt in Calendario Vercellen. Veteri adnotatum est, qui multis ornamentis Ecclesiam donauit.

LXI.

Ex Tabella Bonhomij & Tabulis Ciuitatis Vercellen.

REGGENNERVS. multis foeudis ab Henrico IV. per Diploma Anni MLXXXIII. donatus est.

LXII.

1083

Ex Sigiberto & Trittemio de Viris Ill. & script. Eccles.

VVENNERICVS Episcopus a Sigeberto inter Illustres Ecclesiast. Script. cap. CLXI. per hæc verba recensetur.

Huuenricus ex scholastico Treuirensi Episcopus Vercellensis scripsit librum sub persona Theodorici Virdunensis ad Hildebrandum, siue Gregorium Papam de discordia Regni, & Sacerdotij, non eum increpans, sed vt seniorem obsecrans, & Patrem, & amicabili inductione, quasi affectu dolentis suggerens ei omnia, quæ contra ius legum, & fas Religionis eum fecisse, & dixisse diuulgabat loquax fama.

Hæc sunt Sigeberti verba, a quo Trittemium de Illustribus & Eccles. scriptoribus & alios, item sumpsisse conijcimus.

Noxius Henrici fuit assentator Theodoricus ille Virdunensis, & obsequij simulatione, haud parum Gregorij partes ipsumque perculit. Adeoque in schismate apud Henricum ferè vnus omnia potuit, eius factione verisimillimum est Vuenericum illinc trãsisse ad Italicum id capessendum sacerdotium, nec temere excidisse scriptum, quo Gregorij vita, & fama tectè opugnata. Theodorici omnia satis comperta, Vuennerici apud Treuiros memoria quod quidem assequuti simus manet obscura.

Cœ-

Coeterũ cum adhuc Clericus Gregorio ſcripſiſſet, quod dicitur apud Thritheminm Anno MLXXX. claruiſſe, de ſcriptione, non autem de Epiſcopatus ſede inteligendum cenſerem. Idcirco poſt Regennerum ponendũ eſſe duximus, niſi forte dixerimus in tam breui Annorum ſpatio Clericum ſcrpſiſſe, Eccleſię Vercellen. præfuiſſe, & obijſse.

LXIII.

SIGELFREDVS Epiſcopus Anno MCXVI. vna cum alijs nonnullis Epiſcopis auctor fuit, vt Imperator Henricus IV. ſub ſuam Tutelam Aedem Sancti Petri Viradę in Agro Gremonenſi ſuſciperet. *Ex Sigonio de Regno Italiæ.* 1116

Concilio Mediolanen. quod Anſelmus Archiepiſcopus habuit prę ſens adfuit. *Ex Tabella Bonhomij.*

LXIV.

REGEMBERTVS Epiſcopus cuius formatarum litterarum exemplum adhuc extare ad Archiepiſcopum Mediolanen. teſtatur anteceſſor Bonomius ſed huc vſque ad manus noſtras minime peruenerunt. *Ex Tabella Bonhomij.*

LXV.

ANSELMVS Epiſcopus Sanctimonialibus Lentæ Oppidi peninſulas Bedulij donauit. *Ex Tabulis Eccleſiæ.*

Idibus Decembris obijſſe habetur ex Calendario veteri Vercellen. ſine anni mentione.

LXVI.

AZO Epiſcopus primo Aquenſis, deinde Vercellen. à Roboaldo Archiepiſcopo Mediolani in cauſæ Modoetianæ cognitionem adhibitus, egregiè ſe geſſit. *Ex Tabella Bonhomij.*

AR-

LXVII.

Ex Tabella Bonhomij. ARDITIONVS Episcopus, Messurani Castrum Corrado Imper. commutauit.

Kal. Octobris. Obijsse Arditionem Ecclesiæ Vercellensis electum habetur ex Calendario Veteri Vercellen.

LXVIII.

Ex Tabulis Ecclesiæ. GISVLPHVS Aduocatus Bugellensis, Ecclesiasticæ disciplinæ cultor egregius, singulari erga Ecclesiam sibi commissam beneficientia vsus, Canonicos præsertim vtriusque Ecclesiæ; quo suggerente Gulielmus eius frater ex hac vita migraturus dormitorium commune Canonicis faciendum legauit.

1142 Gisulpho sedente anno, scilicet 1142. Innoc. Pont. Ecclesiam, & Canonicos S. Eusebij in protectiouem suscepit, vt ex sequenti bulla apparet.

Ex Tabulis Ecclesiæ. *INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Abraham Archipresbytero, & Canonicis Maioris Vercellen. Ecclesiæ, tam præsentibus, quam futuris Canonicè substituendis in perpetuum. Æquitatis, & iustitiæ ratio persuadet nos Ecclesijs perpetua rerum suarum firmitate, & vigoris inconcussi monimenta conferre; non enim decet Clericos in sortem domini vocatos peruersis malorum hominum molestijs agitari, & temerarijs quorum libet vexationibus fatigari, similiter & prædia vsibus secretorum celestium dedicata nullas potentum angarias nihil debent extraordinarium sustinere, ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Beati Eusebij Vercellensem Ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentes scripte priuilegio communi-*

munimus, statuentes vt quascunque possessiones, quæcunq; bona eadem Ecclesia *in præsentiarum iustè, & canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum oblatione fideliam, seu alias iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & per vos eidem Ecclesiæ in perpetuum & ilibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, Curtem Caresianam, Villiacum, Montem Galliani cum omnibus appenditijs suis Portum seruis; præterea antiquas, & rationabiles consuetudines ipsius Ecclesiæ ratas manere censemus. Nulli ergo omnino hominum liceat prædictã Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu vexationibus fatigare, saluis priuileggijs, scilicet Rom. Ecclesiæ, & Episcopi Vercellen. canonica reuerentia. Si quis contra hæc temere venire tentauerit potestatis, honorisque sui dignitate careat, & à sacratiss. corpore, & sanguine D. N. Iesu Christi alienus fiat, & in estremo Iudicio vltioni subiaceat. Amen Amen.*

Innocentius Catholicę Ecclesiæ Episcopus.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus.

Ego *Albericus Hostiensis Episcopus.*

Ego *Martinus Presbyter Card. S. Stephani.*

Ego *Guido S. R. E. indignus Sacerdos.*

Ego *Stamius Presbyter Card. tit. S. Sabinæ.*

Ego *Guido Presb. Card. S. Grisogoni.*

Ego Ranerius Presbyter Card. tit. S. Priscæ.

Ego *Petrus Presbyter Card. tit. Pastoris.*

Ego *Goizo Presbyter Card. tit. S. Ceciliæ.*

Ego *Vbaldus Presbyter Card. tit. SS. Io. & Pauli.*

Ego *Thom. Presb. Card. tit. Vestinæ.*

Ego Greg. Diac. Card. SS. Sergij, & Bacchi.
Ego Otho Diac. Card. S. Georgij ad Velum auri.
Ego Guido Diac. Card. SS. Cosmæ, & Dam.
Ego Vassallus Diac. Card. S. Eustachij.
Ego Vbaldus Diac. Card. in Via lata.
Ego Gerardus Diac. Card. S. Mariæ in Domnica.
Ego Octauianus Diac. Card. S. Nicolai in Carcere.
Ego Guido S. R. E. Diac. Card.
Ego Petrus Diac. Card. S. Mariæ in porticu.
Ego Guido S. R. E. Diac. Card.

Datum latum per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Card. ac Bibliothecarij vij. Kal. Maij, Indict. quinta.
1142 Incarnat. Dom. Anno M. CXLII. Pont. D. Innocentij II. Papæ anno xiij.

Cuius Pontificis pietatem imitatus Eugenius in Pontificatu succedens, idem præstat per bullam, quæ incipit.

Ex Tabulis Ecclesia. EVGENIVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis Filijs Abraham Archipresbytero, Henrico Præposito, eorumque fratribus Vercellen. maioris Ecclesiæ Canonicis tam præsentibus, quam futuris canonicè intrantibus in perpetuum. Dilecti in Domino filij, vestris postulationibus clementer annuimus, & beati Eusebij Ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio, prædecessorum nostrorum fel. mem. Innocentij, & Celestini vestigijs inherentes, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, statuentes vt, &c.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Subscriptio Cardinalium.

Datum per manum Roberti S. R. E. Presbyteri Card. & Cancellar. xv. Kalen. Maij. Indictione VIII. Incarnationis

tionis Dominicæ Anno. M.C.XLVI. Pontificatus D. Eugenij tertij anno ij. 1146

Consecrationi demum Ecclesiæ B. Mariæ Maioris Vercellen, ab Eugenio III. Pontif. in eius ex Gallia reditu MCIIL. factę, assistentibus quamplurimis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac Beato Bernardo Abbate Clareuallensi, idem Gisulphus Episcopus interfuit: *Ex Tab. Eccl. S. Mariæ.* 1148

Obijt 3. Kal. Iunij, vt in Calend. veteri adnotatum legitur. *Ex Ecclesia Kal. veteri.*

LXIX.

VGVTIO primò Archidiaconus Bergomensis, deinde Episcopus Vercellensis factus, omni benignitatis, humanitatis, & liberalitatis laude clarus, ab Imperatore Federico quamplurimis donatus est benefitijs anno MCLII. per diploma, quod in parte hic redditur. *Ex Tabella Bonhomij.* 1152

IN NOMINE Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. FEDERICVS Dei gratia Romanorum Rex Augustus. Quia Romani Imperij regimen, potestatemque suscepimus, ecclesijs à nostris Prædecessoribus plurima largitione sublimatis, erga nos competit prouisione consulere, & ne ipsarum possessiones aliqua distractione depereant suffragium sufficiens adhibere. Præsentibus igitur, ac futuris Christifidelibus volumus esse cognitum, quod petitione Domini Papæ Eugenij Tertij, & intercedente carissimo Cancellario nostro Arnoldo, alijsque Principalibus Regni principibus, Venerabilem Vercellensem episcopum VGVTIONEM, atq; ecclesiam Sancti Eusebij in Regiam protectionem suscepimus, & præsentis priuilegij pagina communiuimus. Quæcumque ergo memoratæ ecclesiæ largitione Regum, concessione Pontificum, ita quorumlibet oblatione fidelium collata esse noscuntur, & quæ in posterum largiente Domino conferentur confirmamus, &c. *Ex Tabulis Episc. & Ecclesiæ.*

Præterea concessiones, commutationes, alienationes, distractiones ab Inuasoribus Sancti Eusebij factas, qui Pontificalem benedictionem non obtinuerunt; videlicet, Gregorio de Verucha, Liprando, Euarado, Ardicione, in irritum ducimus, & regia auctoritate cassamus. Quemadmodum, & Patronus, atque antecessor noster Conradus Romanorum Rex ipsa cassauit, inuestituram suamque ab Anselmo Vercellen. Episcopo contra voluntatem suæ ecclesiæ occultè, & irrationabiliter factam de Clauasiolo, atque inuestituram à Gisulpho eidem ecclesiæ Episcopo contra iuramentum, quod fecerat, & contra interdictum Domini Papæ Eugenij tertij ipse eas se non fecisse confessus est de Pedagio, & Naulo Saluge factas, & alias quæcumque probare potuerint, atque omnes alias inuestituras in ecclesia Sancti Eusebij ab Episcopis furtiuè occultè factas, ommino cassamus, & imposterum ne fiant sub pœna centum librarum auri Regia auctoritate interdicimus, &c.

Item præscriptionem quoque centum annorum tam Episcopis Vercellensibus, quam ecclesiæ Sancti Eusebij, & Sanctæ Mariæ concedimus in perpetuum.

Item testes fuerunt præsentes, quorum nomina subscripta cernuntur. Hartunchus Bremensis Archiepiscopus, Ghebaardus Vitemburgensis Episcopus, Gunterbus Spiren. Episcopus, Ebardus Pabembergensis Episcopus. Henselmus Abelporgen. Episcopus, Dux Velpho, Henricus Dux Saxoniæ, Cunradus, Albertus Marchiones de Saxonia, Guido comes de Blanderada.

Signum Domini Federici Romanorum Regis Inuictiss. Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Maguntini Archiepiscopi, & Archicancellarij recognoui.

Datum Vitemburgi xvj. Kalendas Nouembris. anno

Domi-

Dominicæ Incarnationis MCLII. Indictione xv. Regnante Domino Federico Romanorum Rege gloriosissimo; Anno vero regni eius primo feliciter. 1152

Canonicis Sancti Eusebij vtrumque Montanarium,& decimas Rouasij, & Rouasendæ anno MCLV. idem Vgutio concessit. *Ex Tabulis Ecclesiæ.* 1155

Bugellam de Valle in Montem, qui Platium dicitur, transtulit, ipsumque habitantibus, & plurima, & maxima Priuilegia indulsit, vt ex diplomate anni MCLX subscripto per Albertum Sacri Palatij Notarium, quod in tabulario communis Bugellen. asseruatur, apparet. *Ex Tabulis Eccles. & Cõ. Bugellæ* 1160

LXX.

LAMBERTVS, siue Vbertus Cribellius Mediol. ex Archid. Eccl. Metrop. Episc. Vercellen. factus anno MCLXXIII. ab Alexandro iij. mense Septemb Card. creatur. Anno vero MCLXXXI Archiepisc. Med. Demum MCLXXXV cũ Veronam ad Cõcilium quod Lucius iij. indixerat accessisset, Lucio mortuo Pont. eligitur die. Cather. & Vrbanus iij. dictus est. *Ex Tabella Bonhom. & Arch. Med. & Pont. vitis.*

Hic monasteria Bernatense condidit, ac dotauit.

In Pontificatu totus in eò fuit vt Terra Sancta in Saladini potestatem non adduceretur, quod euitari non potuit, nam cum Ferrariæ ad festum S. Luca esset, accepit exercitum Christianum, qui ad sarcienda damna illò concurerat occisum, milites templi probata virtute deletos, Vidonem Regem captum, Vrbem demum ipsam sanctam Hierosolimorum subiectam, Crucemque Domini in manus impiorum peruenisse. Qua ex re tantum Vrbanus doloris hausit, vt sustineri non potuerit, ac Ferrariæ 14 Kal. Nouemb. mortem obierit in Cathedrali sepultus.

LXXI.

GVALA Episcopus, cuius auctoritate Præpositus, & fratres Congregationis Sancti Bartholomei extra Ciuitatem, secundum formam regulæ, Canonicamque Iustitutionem Sancti Eusebij viuere constituerunt, vt ex sequenti scriptura ex antiquis Ecclesiæ Tabulis excerpta, constabit.

QVO-

Ex Tabulis Eccles.

QVONIAM rerum gestarum memoria, naturali obliuione, interueniente plerumque aboleri solet, aut in interitu hominum, vel etiam propter ætatem hominum non longeuam, idcirco ea, quæ in conspectu sapientum geruneur, maximè virorum religiosorum, monumentis literarum sunt commendanda: quæ enim loquuntur facile transire solent, scriptura vero diuturnitate temporis virere solet. ob hoc enim scripturæ introductæ sunt, nè peruersorum hominum machinationibus, quæ gesta sunt disturbari possint. Conuenerunt itaque in præsentia Domini GVALÆ Vercell. Episcopi, & fratrum suorum Canonicorum Beati Eusebij, quidam Religiosi Viri diuina misericordia inspirati, videlicet, Dominus Gulielmus vir sapiens, & dilectus Præpositus Ecclesiæ Congregationis Beati Bartholomei foras Ciuitatem Vercellarum sitæ cum fratribus suis Clericis, & conuersis, vtriusque sexus; profitentes se velle viuere secundum formam Regulæ, & Canonicam institutionem Beati Eusebij, simulque cum eis adstiterunt fundatores prædictæ ecclesiæ Beati Bartholomei, qui dicuntur Aduocati: hi sunt Martinus ..... Iacobus Lixerius, Iulius de Pagano Clerici, Philippus de Funtaneto pro se, & fratribns suis. Qui interrogati si pro tanto bono, & tam digna re vellent renunciare omni

* quod

Iuri fundationis, & Aduocatiæ, * qui fundatores, & Aduocati in ecclesijs debent habere, omnes vnanimes voto responderunt se libenter velle, & in præsentia Domini Episcopi, & fratrum suorum Canonicorum omni iuri fundationis, & Aduocationis renunciauerunt. Postea vero Dominus Gulielmus Præpositus cum fratribus suis Clericis, & vtriusque sexus conuersis dudum se voto obligauerunt, ac firmiter promiserunt, deinceps se viuere sine

proprio

proprio, secundum formam regulę, & status, vt Canonici Beati Eusebij, vtq; solent Canonici Regulares: ibique statim Dominus Episcopus, ne tantum bonum diutius differretur, accepto Consilio fratrum suorum Canonicorum, dedit auctoritatem, & licentiam, vt sicut promiserant, sic de cætero in perpetuum irreuocabiliter obseruarent; si quis vero, quod absit, in prædicta ecclesia voluntati propriæ, & rebus suis renunciare nollet, à Collegio fratrum, sine spe reuertendi abijcietur.

Ego GVALA *Ecclesiæ Vercellensis Minister, licet indignus subscripsi.*

Ego Manfredus Præpositus subscripsi

Ego Firmus Diac. ſſ.	*Ego Ambroſ. Presb. ſſ.*
Ego Gul. ſſ.	*Ego Guala Cappella ſub. ſſ.*
Ego Gilius ſubdiac. ſſ.	*Ego Gualf. ſub. de Alban. ſſ.*
Ego Manfredus ſubd. ſſ.	*Ego Caldario ſubd. ſſ.*
Ego Otho Presb. ſſ.	*Ego Gulier. Acolytus ſſ.*
Ego Leo Presbyter ſſ.	*Ego Mandolius Acol. ſſ.*

Datum per manum Magistri Petri Diaconi Vicecancellarij Anno Dominicæ Incarnat. MCLXXIV. indictione x. Pridie Id. Decembris tempore Domini Alexandri Papæiij. Anno vero Quinto Pontificatus D. Gual. Vercellen. Episcopi, fœliciter. Amen. 1174

Ego Gerardus Notarius authent. huius Bullæ Bullatum Bullo D. Gualæ Vercellen. Episcopi vidi, legi, & sicut in ea continebatur, sic in isto exemplo continetur, nec plus, nec minus. Ideo subscripsi.

Ex Tabulis Ecclesiæ S. Mariæ. Anno MCLXXVII. coram Gulielmo de Macengo Cardinali, & ipso Guala, transigunt inter se Capitula vtriusque Ecclesiæ. 1177

Ex Tabulis Ecclesiæ. MCLXXXI. Statuta ab Vgotione Episcopo pro Capitulo 1181

pitulo Sancti Eusebij facta obseruari mandat.

Ex Tabulis Eccles. Hoc eodem anno translatio corporis S. Aemyliani Episc. a Sancto Eusebio decimi facta est, vt in eius vita retulimus.

Ab hoc tẽpore nihil de hoc Episcopo Guala accepimus, nã Anno deinde MCLXXXV. inuenimus Albertum esse Episcopum, & propterea existimamus Episcopatui renunciauisse grauioribus Ecclesię Vniuersalis Curis a Pontifice destinatum, vt mox dicetur.

Anno 1182. Lucius III. Pontifex ad Prędecessorum exemplum Canonicos, & Ecclesiam Sancti Eusebij in protectionem suscepit per bullam, quæ incipit.

Ex Tabulis Eccles. *LVCIVS Episcopus seruus seruorum Dei Dilrctis filijs Siro Archidiacono, Manfredo Præposito, eorumque fratribus Canonicis Vercellen. Ecclesiæ, tam præsentibus, quã futuris Canonicè substituendis in perpetuum. Quoties à nobis petitur, quod cõuenire dignoscitur, nos decet libenter concedere. Quapropter vestris postulationibus annuimus, & beati Eusebij ecclesiam ad exempla fel. rec. Innocentij, Celestini, Eugenij, Adriani prædecessorum nostrorum sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, statuentes, vt, &c.*

Ego Lutius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Subscriptio Cardinalium.

Datum Velletri per manum Alberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Cancell. xvij. Kal. Februarij Indict. 1182 *prima Incarnat. Dominicę anno MCLXXXII. Pontificatus verò D. Lutij Papæ tertij anno secundo.*

Ex Ciacconio de vitis Cardd. & Pont. Guala igitur Anno MCCV. ab Innocentio III. Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalis creatus est. Hic Vercellis Nobile Sancti Andreæ Templum, & Monasterium à fundamentis sua impensa construxit, & Canonicis Regularibus concessit magnis prouentibus auctum: in quo magni pretij aurea, & argentea orna-

ornamenta; item multas Sanctorum Reliquias locauit; inter quas Gladium; quo Sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus cæsus est, & adhuc ibidem seruatur; quod opus eo tempore maximum, & admiratione dignum fuisse scribitur.

Ab eodem Pontifice ad hæresim Albigensium in Aquitania comprimendam Legatus in Gallias missus est; demum in extremis Innocentij Annis legatus in Angliam, longo tempore sub Honorio III. permansit: ad quem Honorius crebras literas misit, quibus eum primum confirmauit in legatione, deinde præcepit, vt Regem Ioannem Angliæ inuitaret ad suscipiendam Crucem in subsidium Terræ Sanctæ. Rege vero paulo post mortuo, eius filium Henricum hæredem Legatus coronauit: eidemque Pontifex Pueri Regis custodiam commisit, mandauitque, vt viros industrios, & fideles ad eius regimen proueheret. Multa contra Clericos Concubinarios gessit & lata sententia eos benefitijs priuauit. Cum Pelagio Episcopo Albano Ann. VIII. Honorij III. Legatus est ad Imperatorem Federicum, vt eum ad subsidium Terræ Sanctæ desidem inflammaret, & accenderet. Vercellis iussu Honorij III. reformauit Clerum Vercellen. Vgone Episc. sedente. *Ex Tabulis Ecclesiæ.* Obijt sub Gregorio IX. qui omnia Sancti Andreæ Monasterij bona, & priuilegia confirmauit, quæ idem Guala cum viuēs, tum moriens donauit.

LXXII.

ALBERTVS Parmensis de Castello Gualterij admirandis virtutibus ornatus, Vercellarum Episcopus Anno MCLXXXV. factus est. *Ex Tabulis Ecclesiæ.* 1185

Ab Vrbano III. 1186. ad exemplum Adriani Præcessoris in patrocinium sumitur. *Ex Tabulis Ciuitatis.* 1186

Anno 1189. post Hierosolomit. captionem, & Apostolatus Domini Clementis III. secundo, & Imperij Inuictissimi Federici XXXIX. claruisse insigne miraculum in emendationem cuiusdam Parmensium Domine celebratum, quæ fuerat à quinque Demonibus obsessa, & die Octauæ Sancti Eusebij, meritis eiusdem Martyris *Ex Tabulis Eccles.* 1189

Alberto Episcopo Exorcizante liberata legitur summatim in Kalendario veteri Ecclesiæ & in Tabulis eiusdem longissima narratione.

Ab Imperatore Henrico VI. præclaris muneribus Imperij Principis nomine præsertim decoratus, cuius Principatus Dignitate, ac Beneficio alij deinde Episcopi vsi sunt. Huius diplomatis hęc pars redditur:

Ex Tabulis Episcop. & Eccles. *IN NOMINE Sanctę, & individuæ Trinitatis. HENRICVS Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus in perpetuum. Quia Romani Imperij regimen, potestatemque suscepimus ecclesijs à nostris Prędecessoribus plurima largitione sublimatis, imperiali nos oportet prouisione consulere, & ne ipsarum possessiones aliqua distractione depereant, suffragium sufficiens adhibere. Præsentibus igitur, & futuris Christi fidelibus volumus esse cognitum, quod ad petitionem dilecti, & fidelis Principis nostri ALBERTI Vercellen. Episcopi ecclesiam Sancti Eusebij in protectionem Imperialem suscepimus, & præsentis priuilegij pagina communiuimus. Quæcumque ergo memoratæ ecclesiæ largitioni Regum, concessione Pontificũ, seu quorumlibet oblatione, collata esse noscuntur, & quæ in posterum largiente Domino conferentur confirmamus, &c.*

Item *præterea in irritũ ducimus venditiones, commutationes, alienationes, distractiones ab inuasoribus, &c. quemadmodum & Conradus Romanor. Rex, & bo. me. pater noster Federicus antecessores nostri ipsa cassauere. &c.*

Item *præscriptionem quoque centum annorum tam Episcopis Vercellensibus, quam ecclesiæ S. Eusebij, & S. Marię concedimus in perpetuum, &c.*

Huius rei testes sunt Milo Mediolanensis Archiepiscopus, Bonifacius Nouarien. Episcopus, Lanfrancus Bergomen. Episcopus, Comes Theodoricus de Ostade, Comes

Bopo de Vuerthen. Comes Lodircus de Etinge, Robertus de Diurno, Henricus Pincerna de Tutra, Otto Bellus Paſſaguerra Mediolanenſis, & Iudices Curiæ, & alij plures.

Signum Domini Henrici ſexti Romanorum Imperatoris ſanctiſſimi.

Acta ſunt hæc anno ab Incarnat. Domini MCXCI. 1191 *indictione decima.*

Regnante Domino Henrico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo anno Regni eius XXIII. Imperij vero primo.

Datum Mediolani pridie Kalendas Decembris.

Anno MCVIIIC. feria 4. 5. & 6. poſt Pentecoſten. Syno- *Ex ijſdem.* dum habuit, in quo Salubria Eccleſiæ decreta edidit, quæ 1192 adhuc extant.

A Coeleſtino pluribus decoratur Beneficijs, preſertim- *ex ijſdem.* circa decimas anno Pont. tertio, quamplurimiſque bonis Eccleſiam auxit.

Anno 1196. Henricus VI. ſententiam diffinitiuam ſuper *ex ijſdem.* cauſis vertentibus inter Henricum de Fraſcarolio ſindicum 1196 Alberti Vercellen. Epiſcopi nomine Vercellen. Eccleſiæ ex vna parte; Gualam guarnerium ſindicum Communis Caſalis Sancti Euaſij nomine ipſius Comunis ex altera, ab Angelo Archiepiſcopo Tarentino Vicario Imperiali vna cum Iudicum eiuſdem Curiæ conſilio, fauore tamen Vercellen. Eccleſiæ 1196. 12. Kal. Octobris Indictione XIIII. apud Placentiam ſubtus porticum in Clauſtro Maioris Eccleſiæ latam, confirmat per diploma, quod incipit.

IN NOMINE Domini. HENRICVS ſextus diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ, &c. Ea quæ à Vicario Noſtro, & Iudicibus Curiæ noſtræ per diffinitiuam ſententiam deliberato conſilio ſtatuuntur. Iuſtum eſt Imperialis culminis auctoritate firmari & inconcuſſe ſtabilire, vt in perpetuum robur accipiant. Cum igitur, &c.

* Parmē. *Huius rei teſtes fuerunt, Opizo* *Parneus *Epiſcopus, Ioannes Prefectus Almæ Vrbis, Bonifatius Marchio Montisferrati, Albertus Malaſpina, Comes Ranerius de Blanderato & multi alij.*

Datum per manum Alberti Prothonotarij Imperialis
1196 *Aulæ, Anno Dominicæ Incarnationis 1196. indict. xiij. ij. Kal. Octobris, Actum apud forum nouum fæliciter.*

Ex Sigonio de Regno Italiæ. Anno MCIC. V. Kal. Martij ab Innocenrio III. ad Placentinos & Parmenſes ſuper diſſenſione de Burgo Sancti Do
1199 nini orta, quæ totam Lombardiam ad arma ſollicitabat, ad pacem, & concordiam redigendos adhibitus eſt.

Ex Epiſt. decret. Pontif. Idem Pontifex Anno II. ei præcepit vt electionem quorum dam Fratrum, per Clericos Caſalis S. Euaſij excommunicatos factam, irritam declaret; eidemque facultatem cogendi omnes, qui tenentur ad decimas, tam ratione perſonarum, quam Prædiorum impartitur;

Ex ipſius bulla in Bibliſh. Vat. Demum ad Patriarchatum Hieroſolymitanum anno MCCIV. xij. Kal. Martij translatus eſt, cum huiuſmodi
1204 onus Soffredus Cardinalis Sanctæ Praxedis per mortem M. electus renuiſſet, ad quam quidem dignitatem Albertum tanquam Aaron vocatum fuiſſe ex ipſa bulla conſtat, cuius circa initium Pontificis illa verba ſunt.

Poſt modum Chariſſimus in Chriſto filius noſter A. Illuſtris Rex Hieroſolomitan. *aſſenſſum preſtitit & Archiepiſcopi & Epiſcopi conſenſerunt, per ſuas nobis literas ſupplicantes, vt te non ſolum inducere, ſed & cogere dignaremur, vt poſtulationi eorum humiliter conſentires.* idque ipſum ex decurſu bullæ eiuſdem infra conſtabit.

Quanti porrò apud Pontificem fuerit, conſtat ex his ipſius verbis.

Licet autem valde nobis neceßarius ſis in partibus Lombardiæ, *vt potè cui ſecurè in arduis etiam negotijs committimus vices noſtras; propter vrgentem tamen neceſſitatem non ſolum* Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, *ſed etiam totius*

orien-

orientalis Prouinciæ, &c. & paulo post. *Nec tu tam ad honorem assumeris, quam ad onus, cum Ecclesia illa hodie plus habeat oneris, quam honoris, nec turberis quod Cardinalis S. Prexedis factam de se postulationem à Canonicis Sancti sepulchri Dominici non admisit, quia forsan sicut Sarra Tobiæ, sic viro fuit alij diuino iudicio reseruata, vel fortassis hoc eum ad huius oneris recusationis induxit, ne cum in partibus illis praesens existeret, videretur promotionem ipsam procurasse; ac ex eo præsertim notam ambitionis incurreret, quod cum ad remotionem cuiusdam peruersæ personæ, quæ ad eandem ecclesiam fuerat improbe nominata, opportunè, ac importunè, sicut ad eius pertinebat officium institisset, ammota illa factam de se postulationem postmodum acceptaret, &c.*

Insuper Anno sequenti in tota Hierosolymitana Prouincia ad quadriennium Legatum constituit, his verbis vtens. *Cuius magnam in magnis experti sumus industriam.* 1205
Concedit præterea, vt quibuscumque absolutionis munus impartiatur; vt ij, qui ex Italia cum eo sunt, suis fruantur Præbendis; vt in quibusuis Prouincijs, sine scandalo tamen & aliorum præiudicio, pallio vtatur; vt per certa tempora excusetur à Visitatione Liminũ, & alia complura priuilegia.

Fratribus præterea Carmelitis per Montem Carmeli vagari solitis, expetentibus ipsis, regulam scripsit, atque constituit, vt deinceps in vnum Congregati, communem & consentaneam Religioso ritui degerent, quemadmodum ex eiusdem bulla clare colligitur, cuius initium est. *Ex bulla fratrũ Carmelitarum & Annal. Monumen.*

ALBERTVS Dei gratia Hierosolomitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha Dilectis in Christo filijs Brocardo, & cæteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem in Monte Carmeli morantur, Salutem in Domino, & Sancti Spiritus benedictionem.

Mul-

Multifariè multisque modis Sancti Patres instituerunt, quisque in quocumque ordine fuerit vel quemcumque modum religiosæ vitæ elegerit, in obsequio Iesu Christi viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bona bona conscientia deseruire; Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis,

Illud primis statuimus, &c. & in fine

Hic breuiter scripsimus vobis conuersationis vestræ formulam statuentes, secundum quam viuere debeatis. si quis autem super erogauerit, ipse Dominus cum redierit, reddet ei. Vtatur tamen in omnibus discretione, quæ virtutum est moderatrix. Ex *Achon idibus Ianuarij Anno* Domini *M.C.LXXI.*

Quæ tamen bulla hoc anno data esse non potuit, cum Iis Patriarcha declaratus non fuerit ante annum 1204. vt ex nostro Archiuio & Bulla Pontificia, quam ipsi in Bibliotheca Vaticana vidimus, & ex parte iam reddidimus cuiuis apparet nisi dixerimus, duos huius nominis Patriarchas spatio 34. annorum sedisse, quod nullo modo dici potest, cum eorum, qui Chronica ediderunt, dicat nemo, quod haud omnes omnino præteriissent, quin imo Americum Gallũ ab anno 1158. vsq; ad 1181. quo Heraclius ei succesſit sedisse testantur fere omnes, Accedit postremo, quod Magister Baptista Cataneus in speculo ordinis fratrum B. Virginis de monte Carmeli, Alberti illius vitam, qui Regulam scripsit ad Innocentij Tertij Pont. tempora, imo vsque ad annum 1214. producit, dum regulam ipsam ante concilium Generale Lateranense traditam fuisse probans, ait.

Ex speculo ord. fratr. Carmelit.

Iste Albertus, qui regulam ordinis Carmelitarum composuit intronizatus fuit anno Domini MCCXIII. ita intronizatio sua præcessit concilium Lateranense, quod celebratum fuit à PP. *Innocentio 3. anno Domini MCCXV.*

mense

mense Nouembri Pontificatus illius Innocentij anno xviij. sicut habetur in cronicis, & allegatur in Glosa: Archidiacon. extra de Religiosis domibus: religionum diuersitatem lib. vj. in principio. Ante quod Concilium per annum, & di midiũ ipse Albertus moriebatur occisus à Saracenis in Hierusalẽ in vna solemni processione de Sancta Cruce. Hæc ille.

Quare Albertum nostrum non alium expresse fatetur, cum huiusmodi narratio temporibus vitæ, mortis, ipsiusque mortis præclaro generi congruat, quod in eius vita legitur, quam verbis minus quidem elegantibus, fide tamen dignissimis in Ecclesiæ Tabulis comemoratam reperimus & hic eo libentius reddimus quod vndequaq; illustrem Apostolicum que virum ostendat.

XVIII. Kal. Octobris M. CC. XIV. indictione ij. præsenti die de carnis ergastulo egressus est fel. mem. Venerabilis Pater, & Dominus ALBERTVS Hierosolimit. Patriarcha, huius Ecclesiæ quondam Episcopus, Deo, & hominibus dilectus, cuius suauitatis memoriam eructare, licet minus idonei, & sufficientes simus, ne tamen viri tanti claritudo per taciturnitatis desidiam generationi venturæ in obliuionem deueniat, pauca de vita moribus, actibus, & fine glorioso ipsius summatim perstricta, huic paginæ duximus inserenda. Fuit igitur vir Domini memoratus de Castro Gualterij Parmen. diocesis, nobili prosapia ortus, qui ab ineuntis ætatis suę primordijs, litterali militiæ mancipatus, in liberalibus disciplinis, & humanarum legum scientia, coætaneos suos breui tempore antecessit. Cæterum, ne inquinaretur à pice si tangeret eam, Vale facto Mũdo, & pompis eius. ad Ecclesiam Mortarien. tanquam ad salutis portum cum parentibus confugit, vbi, cum iam regularibus disciplinis diuinæ legis intelligentia non modicum fuisset instructus, atque in priorem ipsius Ecclesię electus, ne lucerna eius amplius

Ex Tabulis Eccles.

plius sub modio tegeretur, sed in domo Domini super Candelabrum exaltata cæteros illustraret, de ipso Prioratu ad regimen Bobien. Episcopatus fuit violenter adductus: inde paucis euolutis annis, antequam consecrationis munus reciperet, cum ingenti alacritate Cleri, & Populi postulatus est in Episcopum *Ecclesiæ Vercellen. quam per xx. fere annorum curricula viriliter gubernans tam spiritualium, quam temporalium profectu, eandem mirabiliter augumentauit. Cum enim esset humilis in habitu, parcus in victu, corpore castissimus in elemosinis largus, in officio diuino assiduus, in prædicatione facundissimus, clericorum, & laicorum mores verbo, & exemplo miro modo composuit, & ad frugem melioris vitæ adduxit: cumque sensu profundus esset, consilio prouidus, sermone splendidissimus, constans in actu, & in vtroque iure peritus, à grandi alieno ære ipsam ecclesiam quantocius liberauit, possessiones auxit, ædificia construxit, & iura illibata defendit: inter Sacrosanctã Romanã Eccles. & Imperiũ fidelissimus extitit mediator, vnde tam summus* Pontifex, *quã* Imperator *priuilegio amoris ipsum super alios* Episcopos *diligebant, præsertim illustris* Imperator Henricus *filius inuictissimi Cæsaris, cuius gratiam, deuotionis obsequijs in tantum promeruit, vt nobilissimum* Castrum Verruchæ *huius* Ecclesiæ, *quod tenebat sibi liberaliter restitueret, ac sinceram eius deuotionem magnis, & preciosis muneribus munificentia Imperiali donaret. Verum, vt fulgur, quod exit ab occidente, & patet vsque in orientem tanti viri gloriam constitueret in excelso ab orientali clero, &* Populo *in Hierosolimitanẽ* Patriarcham *fuit vnanimiter postulatus, & per Dominum* Papam Innocentium tertium, *vt illo iret coactus, vbi dum per octo annos tam sanctè, & laudabiliter vi-*

xisset

xisset, vt non solum à Christianis, qui eum tanquam Patrem sanctissimum diligebant, verum etiam à Saracenis, & Paganis in reuerentia magna, & veneratione haberetur, diabolicus quidam vir de loco Caluxij Eporedien. diocesis, quem idem Pater de suis excessibus corrigebat eundem venerabilem virum Pontificalibus indutum, & in hac die gloriosa exaltationis Sanctæ Crucis in Ecclesia Sanctæ Crucis Ciuitatis Aconen. processionem cum Clero solemniter agentem Cultello petijt, & occidit, & sic gloriosus Pater per martyrij palmam ex hac vita migrauit: prius enim huius ecclesiæ quondam sponsæ suæ memor præciosis eam donarijs honorauit, videlicet candidis sericis paramentis ad indumenta pontificalia facienda, scilicet, planetam, pluuiale, Dalmaticam tunicellam. Item Cathedra deaurata ad vsum Episcopi. Insuper duobus vrceolis Christallinis auro, argentoque decoratis, & Bacilla cum vrceolo magno, & baculis de Christallo ornatis ad vsum Cantorum.

LXXIII.

LOTHERIVS in locum Alberti suffectus est ab Innocentio Pontifice, à quo anno eius Pontificatus IX. 12. Calen. Iunij Literas accepit in quibus ratio procedendi in iudicando præscribitur, arque in alijs, qua via & quo modo debeat Prelatus procedere ad puniendos subditorum excessus. *Ex Regestis Inn. in Biblioth. Vat.*

Item admonetur vt separet matrimonium inter Ruffinam Alexandrinam,& Opizonem,propterea quod Opizo esset furiosus. *Ex ijsdem.*

Item,vt oblationem per A. sororem Bonifacij Marchionis Montis ferati de Castro Montis Belli Monasterio Sanctæ Mariæ de Roccha factam (ex quo ipsa proposuit ducere vitam Regularem, & Censum Librarum L. Ecclesiæ Romanæ instituit) recipiat. *ex ijsdem.*

ex ijſdem. Paulo poſt vna cum Epiſcopo Ipporien., qui poſtea fuit Patriarcha Antiochenus, & Abbate Felieto, poſtmodum Nouarien. Epiſcopo, iuſſu eiuſdem Innocentij, ad Albiganen. Eccleſiam Viſitationis munus implens, acceſſit.

ex ijſdem. 1208 Demum anno MCCVIII. translatus eſt ad Archiepiſcopatum Piſanum.

LXXIV.

Ex Tabella Bonhomij. ALIPRANDVS Lotherio ad Eccleſiam Piſanam tranſlato in Epiſcopatu Vercellenſi ſufficitur anno Domini MCCVIII.

Ex Tabulis Eccleſia. Othoni IV. Imperatori è Germania Italiam aduenienti obuiam proceſſit, eumque per aliquot menſes, eo quod maxima polleret auctoritate, comitatus eſt.

Ex diplomatis exempl. apud DD. Gualterios Vrbeuet. 1209 Priuilegiorum confirmationi, quam idem Otho Imper. Eccleſiæ Rauennati indulſit, per diploma Dat. in Caſtro Saminiati III. Kal. Nouembris anno Regni XII. Imperij Primo, indictione XIII. per manus Gualterij Imperialis Aulæ Protho notarij, præſens adfuit, & ſubſcripſit.

Ex Regeſtis Bibliotheca Vaticana. 1212 Demum Apoſtolicus in Lombardia legatus conſtituitur, vt ex literis Innocentij III. datis anno XV. 15. Kal. Februarij patet, in quibus exequutio cuiuſdam prouiſionis Pontificiæ. Præpoſiti, & Canonicorum Plebis de Bupio illi demandatur. atq; vt legatus pariter Apoſtolicus conceſſionem a Guidotto Epiſcopo Aſten. de quodam Feudo Bonuiſij, Marchioni Manfredo de Buſca factam anno MCCXIII. Menſe Februarij, confirmat.

Ex Tabulis Eccl. Aſten. 1213

Ex Kal. Veteri Vercel. Obijſſe 6. Kal. Octobris habemus ex Calendario Veteri Vercellen.

LXXV.

Ex Tabella Bonhomy. GVLIELMVS Epiſcopus huius Nominis primus.

LXXVI.

Ex Tabulis Epiſcop. VGO de Seſſa Epiſcopus prætori Vercellarum Feudi

di Tridini anno Domini MCCXIV. consentientibus Canonicis Sancti Eusebij,& S.Mariæ, confert inuestituram. 1214

Eodem anno Commune Vercellarum, & Gulielmus Montis Ferrati Marchio in eum quasdam eorum differentias compromittunt; erat enim tantæ integritatis, vt pleriq; Principes,æqua in eum fide, dissensionum suarum Arbitrum libenter eligerent. *Ex Tabulis Ciuitatis. Vercell.*

Anno Pontificatus Honorij I. ab eodem Pontifice sub S. Petri tutela suscipitur, priuilegiaque, ac donationes, quecumque Ecclesiæ Vercellensi olim factæ fuerint, denuò conceduntur, ac confirmantur per diploma,quod incipit.

Ex Tabulis Ecclesiæ.

HONORIVS Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri VGONI Episcopo Vercellensi, eiusque successoribus, canonicè substituendis in perpetuum. Cum ex iniuncto nobis à Deo Apostolatus officio, quo cunctis Christi fidelibus auctore Domino præminemus singulorum paci,& tranquillitati debeamus intendere præsentium,pro illorum quiete, oportet nos esse solicitos, qui pastorali dignitate sunt præditi, & ad officium pastorale sunt promoti, nisi enim nos eorum vtilitatibus intendentes,ipsorum iura in quantum (Deo permittente) possumus, integra conseruemus,& auctoritate Apostolica eos ab iniquorum incursibus defendamus,de illorum salute non vere poterunt esse soliciti, qui sibi ad regendum, Domino sunt disponente,commissi. ea propter Venerabilis in Christo frater tuis iustis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Vercellensem,cui Deo auctore,præesse dignosceris,ad exemplum fel. rec. Adriani, & Vrbani prædecessorum nostrorum sub B. Petri,& nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communiuimus, statuentes, vt. &c.

Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Subscriptio Cardinalium.

Datum Laterani per manum Ranerij S.R.E. Vicecancellarij ij id. Martij Indictione vj. Incarnationis Dominicæ anno MCCXVI. Pontificatus vero P. Honorij Papa III. anno primo.

1216

Ex Tab. Ec. Ex Tabulis Mo S. And.

Anno MCCIIXX. Canonicis statuta noua condit, MCCIXX. Ecclesiæ S. Andreæ in Ciuitate Vercellarum fundamenta solemni ritu iecit.

1219

Ex Regestis Bibliothec. Vatic.

MCCXXIV. Capitulorum discordias iterum componit, ac nouis statutis per Gualam Cardinalem Sancti Martini auctoritate Apostolica factis consensit, quæ demum statuta ab Honorio Pontifice anno eius Pontificatus nono X. Kalen. Decembris confirmata sunt.

1224

Ex Tabulis Ecclesiæ

MCCXXVIII. Sententiam contra Abbatem Sancti Nazarij Vercellen. Dioc. de quadam prætensa exẽptione obtinet. De eius obitu in veteri Codice Tabellarij Vercellen. hoc monumentũ reperitur, quod simplicibus quidem verbis cõstat, sed tamen huius Præsulis actiones præclaras repræsentat.

1228

AD SEPVLCRVM D. VGONIS EPISCOPI VERcellen. sub Volta, & Altare S. Ioanis Euangelistæ, qui obijt de Anno MCCXXXV. ij. Non. Nouembris, versus.

Ex Ecclesia Codice vet.

HOC iacet in tumulo Præsul Clarissimus Vgo,
Vrbis Reginæ, cuius origo fuit.
Castrum de Sesso cognomina præbuit illi.
Egregia sobole transit & iste genus.
Eusebij Sancti defendit iura potenter.
Quod nil deperijt, dum sibi vita fuit.
Ecclesieque status per eum stetit inuiolatus,
Et sinæ læsura defendit singula iura.
Atria construxit, quibus est depicta* *vasallos*
Signans, qui debent in cunctis esse fideles.
Dapsilis ad dandum fuit eius, aptaq; dextra,

*pictura

Et

Et super afflictos pia semper viscera gestans.
Fecit in Vrbe domos, Ecclesias, fecit & extra.
Insuper & Populum sacro sermone repleuit.
Huius Ecclesię per eum possessio creuit,
Prouentu cuius locus hic semper veneretur.
Cunctis scripturis in tantum splenduit Vgo.
Qui fuit eximius Doctor lux maxima Cleri.
Rexit & iste probus bis denis, atque duobus.
Annis, collatum Vercellæ Pontificatum.
Mundo Martha fuit. D. ſ3. Vgo Maria.
Parcat ei Pater, & flamen, patrisque sophia.
Ergo per has Causas Paradisum iure meretur:
Viuat, & in Christo præclara luce fruatur.

LXXVII.

IACOBVS CARNARIVS ex Canonico Sanctæ Marię Sancti Eusebij Præpositus factus est. Demum Vercellensis Episcopus, post multas prò Ecclesię libertatis defensione superatas tribulationes & pressuras, ac insignis erga Ecclesiam liberalitatis demonstrationē, Obijt MCCXXXXI. 15. Feb. in oppido S. Agathæ. *Ex Tabulario Monast. S. Andreæ Vercellen.* *Ex Tabulis Eccles.* 1241

Anno MCCXXXXIII. vacasse sedem Vercellen. habemus ex monumento venditionis aliquorum Bonorum Ecclesiæ sub ratificatione Episcopi eligendi, quam venditionem fecit, Gregorius Montelongus legatus de latere Kal. Maij Leone Archiepiscopo Mediol. Qui etiam, cum Ecclesia Vniuersalis ob Federici Imperatoris iniurias magnis premeretur angustijs, & difficultatibus, de eiusdem Sedis Apostolicæ auctoritate vendidit hoc ipso anno Ciuitatem cum Comitatu Vercellen. quę diu olim Ecclesiæ Vercellensis ditioni subiecta fuerant. *Ex Tabulis Ciuitatis Vercellen.* 1243 *ex ijsdem & S. Antō. Archiepisc. Floren.*

LXXVIII.

MARTINVS de Aduocatis Ciuis Vercellensis Episcopalis *Ex Tabella Bonhomij*

palis curæ cultor vigilantissimus; pauperum, viduarum, populique Vercellen. vere Pater.

Ex Tabulis Episcop.

Synodum habuit anno MCCXXXXIIII.

1244

ex ijsdem.

Sententiam contra Abbatem Sancti Nazarij, à subsidio charitatiuo se exemptum asserentem, obtinuit anno MCCXXXXVIII.

1248

Ex Regestis Bibl. Vatic.

Testamenti cuiusdam Magistri Gualonis Apostoiicæ sedis Notarij in locum O. Sancti Adriani Cardinalis exequutor, à Clemente IIII. subrogatur anno Primo Non. Martij.

1265

ex ijsdem.

Ab eodem Pontifice super irregularitate, quod Tarantasien. Archiepiscopum, ac alios ad sedem Apostolicam accedentes offendisset, cum ipso dispensatur.

Extat in Codice, cuius supra meminimus huius Episcopi obitus memoria hæc.

AD SEPVLCHRVM D. MARTINI DE ADVOCATIS Episcopi Vercellen. in eius Ecclesia cum D. Vgone Episcopo sepulto versus.

Ex Tabulis Eccles.

PRæsul Martinus Vercellis incathedratus
Aduocatorum generoso sanguine natus,
Moribus, & varijs Virtutibus irradiatus;
Obsequijs sacris studiosius inuigilatus.
Compatiebatur miseris Viduis, & egenis
At contra prauos dignis arcebat habenis.
Ecclesiam digne rexit sua iura tenendo,
Vt prudens pastor (lerum, populumq; fouendo.
Cumque diu Cæsar Federicus iniquus iniquè
Ecclesiæ iuris dirus prædator vbique,
Verucæ Castrum, Bugellæ Mænia clara
Surripuisset, ea præsul, proh præmia Cara,
Ingenio, cura vigili, multoq; labore
Ecclesiam solito lætari fecit honore.

Demum

Demum redditibus partis decorauit eamdem,
Debita Naturæ iussus persoluere tandem.
Quem Pater, & Natus, quem sacrum denique flamen
In Grege iustorum locet: omnis concinat. Amen.
Audiat ergo pia mitissima Virgo Maria,
Præsulis egregij vota, precesq; pij,
Hæc, quam laudauit dum viueret, ac decorauit,
Ipsum, digna coli, ducat in alta poli.
MCCLXVIII. de mense Iulij obijt D. Martinus 1268
Episcopus Vercellen.

LXXVIII.

HAIMO Episcopus Immunitatis Ecclesiæ Defensor acerrimus, concilio Lugdunensi Oecumenico, quod Gregorius X. Pontifex habuit, Kal. Maij interfuit anno MCCLXXIV. *Ex Tabella Bonhomij.* 1274

Capitulis statuta confirmat, & noua condit anno MCCLXXVI. *Ex Tabulis Episc.* 1276

Anno MCCLXXXI. eidem à Martino Pontifice IV. dispensatio Matrimonij in 4. gradu consanguinitatis inter Bartolinum filium Mathæi Comitis de Valperga, & Isoldam filiam Henrici Comitis de Riparolio, ob sedandas inimicitias, committitur. *Ex Regestis Bibl. Vatic.* 1281

MCCLXXXVI. Capitulorum discordias componit mutua inter ipsos transactione. *Ex Tabulis Ecclesiæ S. Mariæ*

MCCLXXXVII. Indictione prima Synodo Mediolan. Provinciali quam Otho Archiep. habuit xij. sept. in templo Sanctæ Teclę præsens adfuit, in quo cum Brixien. Episcopo de primo loco post Archiep. contendit. *Ex Tabella Bonhom. & Coiri Hist.* 1286 1287

MCCLXXXVIII. Synodum habuit, vnde adhuc extant eius constitutiones. *Ex Tabulis Episcop.* 1288

Dotationem altaris Sancti Michaelis in Ecclesia Sanctæ Marię MCCVIC. comprobat. *Ex Tab. Eccl. S. Mariæ.* 1294

Anno MCCIC. testamentum condit, quod vsque in hunc diem Insignem eius pietatem nobis testatam facit. *Ex Tabulario Episc.* 1299

Anno

Ex Tabulis S. Mariæ. Anno MCCCI. non nulla ſtatuta pro capitulo Sanctæ Mariæ Prioribus addit.

1301 *ex ijſdem.* Demum anno 1302. committit quandam cauſæ cognitionem ſuper redditibus Altaris S. Remigij in Choro Sanctiſſi-
1302 Trinitatis.

LXXIX.

Ex Tab. S. Pauli Vercellen. RAYNERIVS de Aduocatis primò Clericus, deinde Cantor, poſtmodum theſaurarius, poſtea Præpoſitus, demum Archidiaconus Eccleſiæ Vercellen. defuncto Aimone Epiſcopo, diuino afflatu, concordi Capituli totius voluntate, fuit electus in Epiſcopum Vercellarum, ab Archiepiſcopo Me-
Ex ipſius bulla in Biblioth. Vat. diolanen. poſtulatus. Verum cum Pontifex ea vice eius diſpoſitioni, & Apoſtolicæ ſedis hanc electionem reſeruaſſet, Canonici per Nuncios ad Pontificem miſſos, reſeruationem huiuſmodi ignoraſſe aſſerentes, ſuppliciter petierunt, vt eundem Raynerium eligere dignaretur. Quare Pontifex Canonicorum electionem in primis irritam declarans, Raynerium ipſum auctoritate Pontificia Epiſcopum Vercellenſem conſtituit Quinto Id. Auguſti MCCCIII.

Qui quidem citò ſatis Epiſcopatus Regiminis fructus nil aliud eſſe, quam anxietates, atque aſſiduos animi cruciatus planè ſenſit, vt ex ſequenti narratione conſtabit, quam nos ex Eccleſiæ Tabulis acceptam ijſdem pene verbis hic reddimus. Quamquam probauit egregius Paſtor ſuam operam fidei Catholicæ cum maximo piorum emolumento, & Sedis Apoſtolicæ approbatione non impari.

Ex Tabulis Eccleſiæ. Narratur igitur quemadmodum quidam frater nomine Dulcinus filius Presbyteri Iulij de Traguntano Vallis Oxolæ Dioec. Nouarien. homo vilis, hæreſiarcha peſſimus, cum quibuſdam eius ſectatoribus Vercellen. Dioeceſin inopinatè ingreſſus, in locis præcipue Gattinariæ, & Seraullis, adiacentibuſque dæmoniaca calliditate ac verſutia, mares, ac fœminas, occulte tamen, ſeducere ſummopere ſtudebat: quod cum ſollicitus Paſtor Raynerius, Animarum ſibi commiſſarum ſalutem zelans, audiſſet, lupos à ſuo Grege depel-

lere

lere cupiens, milites ex terris suis, quam maturrime potest parat: eorumque copias contra Dulcinum mouet. Ipse verò cum sectatoribus, qui numero plurimum creuerant, montes peragrans, Triuerium oppidum Bugellensis ditionis contendit; huc illuc in personas, & in bona, damna plurima inferens. At exercitus, Episcopi iussu, continuò eos insequitur, ac per menses quattuor in loco Moxi commoratur, vt ipsos in altissimis montibus collocatos, quibus suis, & naturæ, & belli auxilijs priuarent. Interim Episcopus, qui, vt fortis athleta, eorum audaciam omnino conterere cupiebat, cum populos eò miseriarum redactos esse cerneret, vt se ipsos plane desererent, Pontificem de huiusmodi gregis sui pressura, deque suis necessitatibus certiorem per nuncios facit; qui statim literas pontificia facultate insignes ei transmisit, ac inter cœtera Indulgentias plenarias omnibus Christi fidelibus, hoc sacrum Bellum quoquomodo iuuantibus, hæreticos ipsos condemnando, atque anathematizando, concessit, quibus promulgatis thesauris, Episcopus frequentioribus copijs sub Iacobi, & Petri de Quarenia, ac Thomæ de Casanoria virili ductu congregatis, vt Ciuitas Vercellarum alias pariter colligeret curauit; quod illa pio sane animo exequutioni mandauit. Vterque igitur exercitus auxilio Dei, beatiq; Eusebij inuocato, Episcopi demum sermone accensi, ac benedicti, nonnullis montium summitatibus munitis, perfidos obsident, ac hebdomoda sancta ad pugnam prouocant; demum, semel, iterum, ac sæpius repetitis cruentis bellis; diuina fauente bonitate, dæmoniacæ copiæ profligantur, lupique duces incidunt in Rete; Nam super Triuerij finibus, Dulcinus ipse vnà cum Margarita de Tridento eius socia, & Longino de Bergomo, qui erat de Cataneis de Sordo, vel de Sacio, capiuntur; Episcopoq; Deo quamplurimas ob id gratias agenti, in Bugellæ Castro Sabati Sancti die præsentantur. Episcopus statim ad Pontificem nuncios, tum vt victoriæ seriem diligenter exponerent, tum vt, quid de cunctis hostibus agendum esset, eius animum explorassent, misit; qui suis literis, vbi hi homines deliquissent, ibi suorum meritorum stipendia reportare debere, respondit. Itaque Episcopus, conuocatis

Prælatis, Religiosis, Ecclesiasticis, & laicis personis, Iurisperitis quamplurimis, & habita de præmissis diligenti deliberatione, maturoq; consilio, prædictos Iudicio seculari tradidit. fuerunt ij paulo post partim Vercellis, partim Bugellæ frequentissima Ciuium, & hominum totius Diœcesis affluentia combusti MCCCVII. 23. Martij.

1307

Hoc peracto foeliciter Bello, Clemens Pont. V. Romanus, vt Episcopum Raynerium benè de Catholica Ecclesia meritum, ob eximias eius virtutes, resque præclarè gestas remuneraretur, vt in visitationibus procurationes in pecunia moderatè exigere valeret, hac bulla facultatem impertit.

Ex Tabulis Ecclesiæ.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei Venerabili fratri RANERIO Episcopo Vercellen. salutem, & Apostolicam benedictionem. Cõsiderantes magnę deuotionis affectum, & tuorum excellentiam meritorum, quibus te

* ob

*amabilem apud Apostolicam sedem * .. tuorum exhibitionem operum reddidisti diligentius arbitrantes, necnon æstimantes damna rerũ, & debita, quæ tu, & Ecclesia tua Vercellen. pro exterminatione* ..... Dulcini, & sectæ eius, qui in partibus illis hæresim erexerãt, incuriosis, ac volẽtes propterea tuis, & eiusdẽ Ecclesiæ læsionibus de alicuius opportuno consolationis remedio benignus prouidere, tuis deuotis supplicationibus inclinati fraternitati tuæ, vt pro huiusmodi reparandis damnis, & iacturis illatis* .... debitis exinde contractis leuius supportandis, possis quoad vixeris Ecclesias, & Monasteria, & loca ecclesiastica, & personas tuarum Ciuitatis, & diœcesis prout tibi competit, & antecessoribus tuis competijt ab antiquo, quoties tempus visitationis ingruerit per aliquam, seu aliquas personas id confeceris, visitare, ac procurationes moderatas ratione huiusmodi visitationis tibi debitas in pecunia numerata recipere, & ab Ecclesijs, & Monasterijs, locis, & personis eiusdem*

* iniquitatis filij vel damnati memoria.

* ac pro

*eiusdem taliter visitatis auctoritate præsentium indulgemus. Non obstantibus quibuslibet constitutionibus, & consuetudinibus, vel statutis contrarijs, seu priuilegijs, & *indulgentijs Apostolicis quibuscumque concessis, de quibus eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteret in nostris litteris fieri mentionem, & per quæ præsentibus non expressam, vel taliter non insertam effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat, vel quomodolibet differri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit Indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.*

*indultis

Datum Pictauij 4. Nonas Iulij Pontificatus nostri anno secundo. 1307

Eodem die ob easdem causas exemptionem à quibuscumque oneribus, decimis, quomodocunque ad Sedem Apostolicam spectantibus, vel ab ipsa imponendis, quoad vixerit munifice Clemens ipse concedit, vt sequitur.

Ex Tabulis Ecclesiæ.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei Venerabili fratri RANERIO Episcopo Vercellen. salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum sicut asseris, & fide dignarum testimonio accepimus personarum, exorta dudum, & iam Domino . . . . . extincta * . . . . . abiles Dulcinum, & sectam eius* . . . . . partibus ipsis discrimen in patrimonialibus, & eiusdem Ecclesiæ bonis, tam stabilibus, quam mobilibus, Castris, & villis irrecuperabilem lesionem sub . . . iacturam non absq; multorũ eiusdem Ecclesiæ vassallorum periculo personarum, ac proinde magna debita noscamus contraxisse, propter quæ tu, & Ecclesia ipsa in facultatibus non modicum diminuti con-*

* adinuãte
* persecutione per dete stabiles.
* in Diœc. Verc. &

ſueta onera ſupportare non poſſitis, vel poteſtis, nec ad eorumdem reparationem damnorum, & debitorum, & ſolutionem faciliter reſpirare. Nos ob id, vt tibi, & eidem Eccleſiæ in hac parte vtilius conſulatur, volentes te, & Eccleſiam ipſam de alicuius conſolationis ſolatio releuare, te à quibuslibet Pontificalibus collectis, contributionibus, & procurationibus legatorum Apoſtolicæ Sedis auctoritate tibi, & ipſi Eccleſiæ impoſitis, aut etiam in poſterum imponendis quoad vixeris Apoſtolica auctoritate eximimus, atque abſolutionis de gratia ſpeciali fraternitati tuæ tenore præſentium concedentes, vt nec per noſtras, nec per legatorum Apoſtolicæ Sedis litteras impetratas hactenus, etiam ſi iam ſit per eis ad prouiſionem proceſſum, vel de cætero impetrandas etiam ſi contineatur in ipſis, quod earum impetrationibus quælibet Apoſtolica indulgentia non obſtet, vel quantumcumque alias pro eis preciſe ſcribatur in illis niſi plene, & expreſſe de præſentibus fecerint mentionem prouidemus ne vlterius quoad vixeris in prouiſionibus collectis, & procurationibus memoratis prædictæ Sedis legatis aliquatenus tenearis, nec poſſis ad huiuſmodi prouiſiones, collectas, & procurationes, à quibus te duximus abſoluendum, per prædictas litteras contrarias Interdicti, & excommunicationis ſententias contra te quomodolibet forſitan promulgatas, de gratia Sedis Apoſtolicæ relaxamus, ac ſecus promulgandas decernimus ex tunc irritas, & inanes & nullius penitus exiſtere firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, abſolutionis, conceſſionis, relaxationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolo-

ſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Pictauij iiij. Nonas Iulij Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Cum ſigno plumbeo, & cordula ſerica Rubei, & crocei coloris pendente. Æ.C. CCCLIIII.

Demum ius conferendorum Beneficiorum, tam Canonicatuum, etiã Dignitatum in Eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, Parrochialibus, & alijs: quam ſimplicium in Diœceſibus Vercellen. Nouarien. Aſten. Epporidien. Taurinen. & S. Ioannis Baptiſtæ Modoetiani, ei liberaliſſimè indulſit, vt ex his apparet.

CLEMENS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Venerabili fratri RANERIO Epiſcopo Vercellenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Eximiæ deuotionis affectus, quem ad nos, & Romanam Eccleſiam habere dignoſceris, promeretur, vt Apoſtolicæ Sedis conſueta benignitas perſonam tuam in his, quæ digne poſtulas fauorabiliter proſequatur, & tibi ſe reddat ad gratiam liberalem, volentes itaque tuam honorare perſonam, vt per honorem tibi exibitum alijs valeas prouidere, fraternitati tuæ auctoritate noſtra recipiendi hac vice, prout ad te pertinet, & faciendi per te, vel per alium, ſeu alios ex nunc in tua Vercellen. ac Nouarien. Aſten. Hipareglen. & Thaurinen. Cathedralibus, & in Sancti Gaudentij Nouarien. S. Secundi Aſten. & in S. Ioannis Modecien. Mediolanen. Dioceſ. necnon in ſingulis tuarum Vercellen. Ciuitatis, & Dioceſ. in quibus duo, vel plures beneficiati habentur Eccleſijs in ſingulis, videlicet earumdem Eccleſiarum ſingulas perſonas idoneas in Canonices recipi, & in fratres, ac prouidendi earum cuilibet de præbenda, ſeu benefitio Eccleſiaſtico, & duabus ex iiſdem perſonis, aut alijs in duabus earumdem Eccleſiarum vni in vna, & alteri in altera Ex Tabulis Eccleſiæ.

earum

earum de dignitate cum cura, vel sine cura, si quæ in Ecclesijs ipsis vacant ad præsens, alioquin præbendas, beneficia, & dignitates huiusmodi, si non vacant ibidem reseruandi, eadem auctoritate tuæ collationi personis ipsis eodem modo cum vacauerint conferendi, & prouidendi eis de illis, ac inducendi personas easdem, vel procuratores ipsarũ, in corporalem possessionem earundem prębendarum beneficiorum, & dignitatum, quæ per te conferre contigerit, eisdem ac iurium, & pertinentiarum ipsorum, & defendendi inductas, necnon & faciendi personas illas, quibus de dictis præbendis beneficijs, & dignitatibus duxeris prouidendum ad præbendas, beneficia, & dignitates eorumdem cum vacauerint, prout est moris admiti, ac personis ipsis de Canonicatuum, præbendarum, beneficiorum, & dignitatuum prædictorum fructibus, reditibus, prouentibus, iuribus, & obuentionibus vniuersis integre responderi, nec non & contradictores auctoritate eadem Approbatione post posita compescendi, non obstantibus de certo Canonicorum numero, & quibuslibet alijs statutis, & consuetudinibus contrarijs earumdem Ecclesiarum iuramentis, confirmationibus Sedis Apostolicæ, seu, quacumque firmitate alia, roboratis, aut si aliqui Apostolica, vel alia quauis auctoritate, in eisdem Ecclesijs in Canonicos sint recepti, vel, vt recipiantur insistant, seu si super prouisione cuique facienda de dignitatibus, canonicatibus, & præbendis alijs beneficijs Ecclesiasticis in eisdem Ecclesijs specialiter, vel in illis partibus generaliter dictæ Sedis, vel legatorum eius literę sint obtente, etiam si per eas ad inhibitionem, reseruationem, & Decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, præterquam auctoritate nostra in eisdem Ecclesijs receptis, aut præbendas, beneficia

tia & dignitates expectantibus personæ præferantur eidem, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliorum canonicatuum præbendorum, seu benefitiorum, & dignitatum præiuditium generetur, aut si venerabilibus fratribus nostris Nouarien. Asten. Yporedien. & Taurinen. Episcopis, aut dilectis filijs Capitulis prædictarum Ecclesiarum, vel quibusuis alijs comuniter, vel diuisim à præfata sit sede indultum, quoad receptionem, vel prouisionem aliquorum minime teneantur quodque ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, siue quod de Canonicatibus, prębendis, seu benefitijs, & dignitatibus earundem Ecclesiarum, vel ad eorum collationes, vel prouisiones, aut quasuis alias dispositiones coniunctim, vel separatim spectantibus nequeat aliquibus prouideri per literas Apostolicas non facien. plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, seu quibuslibet alijs eiusdem sedis indulgentijs generalibus, vel specialibus quorumcunque tenorum existant per quam præsentibus non expressam effectus huiusmodi nostræ gratię impediri valeat quomodolibet, vel diferri, de quibus eorumque totis tenoribus in nostris litteris habenda sit mentio specialis, vel si personæ præfatæ, vel beneficiatæ existant liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem.

Datum Pictauij iiij. Non. Iulij Pontificatus nostri anno secundo.

Tax. 9. Anton. sigilata plumbo more solito.

Obijt 13. Kal. Decembris secundum Kalendarij veteris adnotationem, sed de anno quo contigerit mors, nulla mentio habetur.

LXXX.

VBERTVS de Aduocatis Episcopus, paci inter Aduocatos *Ex Tabulis Ecclesiæ*

catos, & Titiones diù dissidentes, dum adhuc electus erat,
1310 anno scilicet MCCCX. interfuit.

Anno vero sequenti 1311. controuersa res cum inter Episcopos Prouinciæ Mediolani de primo loco esset, dum Henricus Rex in Imperatorem coronandus erat, causam obtinuit, cuius quidem rei adhuc monimentum hoc extat in Archiuio Episcopatus.

Ex Tabulis Episcop. 1311 *IN NOMINE Domini Amen. Anno ab Incarnat. eiusdem currente Millesimo Tricentesimo vndecimo Indict. nona, Die sexto Mensis Ianuarij, in festo Epiphaniæ Domini, in Ciuitate Mediolani, in Ecclesia S. Ambr. Mediolan. in præsentia Patrum Venerabilium Dominorum Castoni Archiepiscopi Mediolanensis, Archiepiscopi Ianuensis, Archiepiscopi Triuer. Episcopi Leodiensis, Ayen. Episcopi Gibenen. N. Episcopi Asten. N. Episcopi Taurinen. Vberti Episcopi Vercellarum, Vguc. Episcopi Nouar. pap.* *Parmē. *Episcopi *Palmen. Episcopi Cumani, Episcopi Brixien. Episcopi Lauden. Henr. Episcopi Triden. Cancellarij Domini Imperatoris, & Illustrium virorum Dominorum Ducis Austriæ, Ducis Bauariæ Valer. Comitis de Lucembur. & plurium Comitum de Alemania, Guidonis Comitis Flandriæ, Amodei Comitis Sabaudiæ, Vgi Delphini, Theodori Marchionis Montisferrati, & aliorum Baronum, Comitum, & Marchionum Lombardiæ, & coram testibus Domino Gulielmo de Moxo Canonico Vercellensi, Iacobo de Sancto Paulo Ciue Vercellen. & pluribus alijs Clericis, & laicis ibidem congregatis in multitudine copiosa, occasione Coronationis Serenissimi Regis Romanorum Domini Henrici in Imperatorem solemniter coronandi. Constitutus idem Dominus Rex ibidem ad suscipiendum deuotè benedictionem inunctionem, & coronationem Coronæ ferreę iuxta solitum morem constituendorum*

Roma-

Romanorum Imperatorum; & ſicut celſitudinem Regiam concedebat, * *vt peruenisset ad eum delatione ſibi facta ex parte Venerabilis Patris domini Vberti Vercellen. Epiſcopi, & comitis ſupradicti, quod idem dominus Epiſcopus Vercellenſis eſſe debet: & ſtare, & ſedere conſuenit à dexteris domini Mediolanen. Archiepiſcopi in concilijs, conſecrationibus, & alijs tractatibus, & parlamentis ſolemnibus in quibus ſuffraganei Mediolanen. Eccleſiæ requiruntur, ſicut apparet etiam in* * *Alua, ſeu Biroldo Mediolan. in Eccleſia Sanctæ Theclæ, & quod ex longiſſima, & inueterata conſuetudine, & obſeruantia iuxta morem diutiùs approbatum ad Epiſcopum Vercellen. tanquam ad præcellentem, & honorabiliorem ſuffraganeorum Lombardiæ, ſedere pertinet poſt Metropolitanum iuxta Regem Romanorum Imperatorem conſtituendum, propinquiorem adeſſe coronationi prædictæ, & in ſolemnitate Diadematis ac prædictæ Coronæ Regalis, & imperialis, capiti propinquius miniſtrare ad dextrum latus Serenitatis Regalis & Imperialis, licet Epiſcopus Brixienſis ſe ingereret & aſſereret potiorem. Volenſque Epiſcopo, & Eccleſiæ Vercellen. reuerentiam exhibere ac Sedis & ſui ordinis prærogatiuam debitam conſeruare, iuxta morem Conſtantini Prædeceſſoris ſui,* * *qui magis veneranter honorari, & exaltari, quam proprium Imperium, terrenumq; thronum decet,* * *man dicto Brixien. Epiſcopo à prædicto prærogatiuæ beneficio excluſo. Cum ipſe dictus Vercellen. Epiſcopus cæteros ſuffraganeos Mediolanen. Eccleſiæ ordine debito antecedat præmiſſa diligenti deliberatione, atque deliberato conſilio Procerum Comitum, & Baronum ſuorum præfatus D. Rex Imperator conſtituendus, volens Ius Vercellen. Eccleſiæ illibate ſeruari cum prædicta intellexit eſſe vera voluit,*

* cum

* forte Albo,

* quin

* iam

& decreuit præfatum D. Episcopum Vercellen. esse, & costare à dextris S. & prædicto Mediolanen. Archiepiscopo in Consilio, & officio benedictionis suæ, & coronationis præmisse, decernendo idem D. Rex, quod prædictus D. Episcopus Vercelien. adesset, & ministraret in coronatione ipsius D. Regis, & Episcopus Brixiensis in coronatione Reginę. & iccirco vocari ipsum Dominum Episcopum Vercellen. fecit per Ill. virum D. Amadeum Comitem Sabaudiæ per hæc verba à dicto D. Comite iussu dicti D. Regis Romanorum prolata, videlicet, Mi Domine Episcope Vercellen. veniatis ante, quia Dominus meus vult conservare vobis ius vestrum, & Ecclesiæ Vercellen: & locari eum fecit ad dexteram suam eundo ad processionem de Claustro ad Ecclesiam: deinde in Ecclesia ante altare S. Ambrosij ad dexteram Domini Archiepiscopi memorati in officio Coronationis, præsente Domino Episcopo Brixiensi. Et sic idem D. Vbertus Vercellen. Episcopus, præsente D. Episcopo Brixien. & alijs suffraganeis de Lombardia Mediolanen. Ecclesiæ, locata sede sua in loco competenti, à dextris D. Mediolanen. Archiepiscopi stetit, sedit, & legit primam lectionem, seu orationem, quæ sibi per Archiepiscopum delata, & ordinata extitit primo ante alios Episcopos Lombardia de his quæ lecta, & dicta fuerunt in officio Coronationis iam dicto. Item recepit de manu eiusdem ensem, quem Imperatori accinxit, & sceptrum regale, Virgam, & Pomum aureum, siue deauratum. Quod quidem sceptrum, Virgam, & Pomum, postea manu sua dextra porrexit, & dedit ipsi Regi insuper Coronam benedictam per præfatum Mediolanen. Archiepiscopum idem Dominus Episcopus Vercellen. vnà cum D. Archiepiscopo supradicto Capiti eiusdem Regis imposuit, & firmauit, & solus post Archiepi-

scopum

scopum signis (tam in vnctione Henrico Regi facta, quam in alijs ad solemnitatem coronationis Imperialis culminis) opportunis eidem Regi factis, & impositis, ad latus dicti Regis dextrum sedit, & deinde expleto coronationis officio ad sedem suam subsequen. post alteram firmatam, & ordinatam . . . . . Imperatorem cor . . . . . vbi sedente ipso Imperatore cum Imperatrice Regina . . . . . rediit ad sedem suam, & locum à dextra Archiepiscopi memorati . . . . . & officij insigni Consecrationis . . . . . Iuris sui, & honoris . . . . iussæ fuerunt.

Ego Iacobus de Rubino de Chalando Imperiali auctoritae notarius . . . . omnibus interfui, & roga . . . tam . . . . firmaui, & scripsi.

Idem Vbertus Episcopus Capitulo Sancti Stephani Bugellæ anno MCCCXVIII. statuta condit, quo quidem anno statuta quoque Capituli S. Eusebij confirmat. *Ex Tabulis Ecclesiæ S. Steph. Bug.* 1318

Anno MCCCXX. Pōtificijs partibus faues à Matthæo Vice comite Vercellar. arcē arripiēti capitur, inq; carcerē truditur. *Ex Bossi Hist.*

Anno MCCCXXIV. Equiti Raimundo Cardono Catallano Pontificis in Lombardiam cum copijs militum Vicario Modoetiam petenti cum Archiepiscopo Mediolan. & diuersis Lombardiæ Ciuitatum auxilijs adhæret. 1320 *ex eodem.* 1324

At sequenti anno cum gliscentibus quotidie perturbationibus agitaretur à Pontifice Ioanne vigesimo secundo litteras accipit, commiserationis plenas, in quibus Pontifex promitrit se copias italicas missurum auxilij gratia, cum belgicas tunc non haberet, ad quas tamen comparandas. Henricus breui rediturus iuerat. præterea super Abbatijs, de quibus ille ad Pontificem scripserat agere iubet cum legato Apostolico Bertrando tit. S. Marcelli Cardinali, cui mandauit, vt eius consilio vteretur. *Datum Auinioni Kal.* 1325 *Iunij anno nono.* *Ex Regestis Bibl. Vatic.*

ex ijſdem Ab eodem Pontifice non. Iunij eidem Epiſcopo manda-
1325 tur, vt adminiſtrationi monaſterij Sancti Andreæ pium hominem, idoneumque præficiat electioni eiuſdem, matura consultatione præmiſſa.

Ex Tabulis Eccleſ. Extat de eo mentio in pluribus ſcripturis vſq; ad annum
1328 MCCCXXIIX. incluſiue.

LXXXII.

LOMBARDVS ſeu LOMBARDINVS de Turre Ciuis Mediolanen. viribus, virtutibuſque egregijs ornatiſſimus.

Ex Tabulis Eccleſia. Anno MCCCXXIX. ſententiam fert de quibuſdam bonis
1329 Caſalis Sancti Euaſij.

Ex Regeſtis Bibl. Vatic. Anno MCCCXXXII. Ioannes vigeſimus ſecundus Pon-
1332 tifex *Epiſcopo Nouarienſi* litteras dat, in quibus Lombardum Epiſcopum Vercellenſem, Epiſcopum item Iporienſem, atque Dominos de Aduocatis, & Arborio Vercellarum (vt ipſe ait) extrinſecos commendat, hortaturque, ne iniuriam illis, vel ipſe inferat, vel inferri patiatur à ſuis. *Dat. Idib. Nouembris anno decimo ſeptimo.*

Ex ijſdem. Anno Pontificatus Benedicti duodecimi Quarto, 7. idus
1338 Ianuarij ab eodem teſtandi facultate donatur.

Ex Tabulis Eccleſia. Capitulis Vercell. ſtatuta confirmat, ac noua condit anno
1339 MCCCXXXIX.

Ex Tabulis Cò. Bugellæ Cum diſſenſiones graues inter hunc Epiſcopum, & Bugellenſes aduerſus Petrum Dominum Burgi Maſini, alioſq; Maſini, & Maglioni dominos exortæ ipſos ad arma ſæpius ſollicitarent, compromiſſum denique mutuo partium conſenſu
1343 factum eſt anno MCCCXXXIII. arbitrique ab vtriſque delecti Otho ex Dominis Azelij, & Io. de Aduocatis, ex dominis Ceridoni; interimque induciæ in quinquennium iuſſu Gulielmi Cardinalis SS. Quattuor Coronatorum Apoſtolici legati à Latere vt ex illius literis Alexandriæ tunc Dioeceſis Aquen. datis, & ſubſcriptis per Bertrandum Vaccherium eiuſdem legati ſecretarium Pontificatus Clementis VI. anno primo apparet, factæ ſunt.

Ex ipſius ſepulchro. Obijt Bugellæ, atque eius corpus in Eccleſia Sancti Ste-

phani

phani conditum est eodem anno quo supra, anno vero MDXLIV. cum altare transferretur, apud quod diu iacuerat, repertum est à dextro eiusdem altaris latere Epigramma, quod hic reddendum esse censuimus.

Mille trecentis quadraginta cum tribus annis
A sæclo vitæ migrauit Episcopus iste
Aprilis die nono sicut carmine pono
Ter nono mensis post hoc, februique sequentis
Hac positus petra signant præsentia metra.
Qui viguit clara fama, nunc aret in Ara:
Flos lumbardorum Lumbardus *flos dominorum,*
Stirpeque magnali de Turri Mediolani:
Quem genus, & mores, virtutes, sensus, honores,
Ordine ditari creuerunt Pontificali
Vrbis erat Præsul Vercellarum, extitit exul;
A quibus obsessus multum fuit, ac non oppressus,
Illis atque manum porrexit Mediolanum.
Hic bene certauit, Bugellam fortificauit
Turribus, & muris, epulis non defuit vllis.
Fortia Castra fecit de nouo, plura refecit.
Expulit inde guerras, protexit vndique Terras,
Tota sub magnis posita Regione *Tyrannis*
Magnanimo nam corde resistit solus in orbe.

NICOLAVS Cardinalis Capoccius Romanus hoc loco numeratur inter Episcopos Vercellenses in Tabella à Reuerendissimo Bonhomio Prædecessore nostro confecta, & à Panuinio, & Ciaconio in vitis Cardinalium: verum cum tempora, quibus ille vixit, ab alijs Episcopis occupata reperiantur ex Ecclesiæ tabulis, hoc fuit in causa, vt diligentius eam rem exquirendam statueremus, quare denique inuenimus, tum

Ex Tabella Bonhomij.

Ex Panuin. & Ciaconio de Vit. Cardd.

tum in manuscripta eius familiæ historia, quæ apud Capocciios Romæ asseruatur, tum in antiquissimo eiusdem Cardinalis sepulchro, quod in Aede Sanctæ Mariæ Maioris Vrbis visitur, Vrgelli quæ Ciuitas est in Hispania, non autem Vercellarum Episcopum fuisse; huius autem erroris causam fuisse similitudinem nominis facile quiuis intelligere potest.

LXXXIII.

Ex Tabulis Cl. Bugellæ EMMANVEL de Flisco Ianuensis Episcopus in locum
1343 Lombardi sufficitur à Clemente VI. Pont. MCCCXLIII.

Ex Regestis Bibliotheca Vaticana. Eodem anno Clemens *Gulielmo Cardinali Sanctorum Quattuor Coronatorum Apostolicæ Sedis legato* scribit, vt bona L. Episcopi Vercellensis mortui recipiat, ne pereant, eaque Vicarijs, & ministris Emanuelis electi tradat. *Datum Auenioni decimo quarto Kal. Iunij anno secundo.*
1343

Ex ijsdem. Item *Ludouico dela Turre Cano. Aquileiensi* dat potestatem vocandi in Ius debitores Lombardini Episcopi mor-
1343 tui, & exigendi, vt supra. *Dat. Auenioni pridie Idus Nouembris anno secundo.*

Ex ijsdem. Idem Pontifex *Ioanni Archiepiscopo Mediolanensi, & Luchino de Vicecomitibus* litteris suis mandat, vt Ruffinum de Colobiano, & Ioannem, atque Vbertum de Aduocatis Vercellenses Ecclesiæ Vercellensis deuotos, ac fideles carcere eximant. *Datum Auenioni 14. Kal. Ianuarij anno 2.*
1343

Ex ijsdem. Idem *Ludouico dela Turre Canonico Aquileiensi.* vt Iacobum de Villanis Rectorem Ecclesiæ S. Theocnesti Vercellensis Dioeceseos, & Lazarum Vicarium Emmanuelis Episcopi aliosque locumtenentes Lombardini Episcopi Vercellensis quibus Card. SS. Quattuor curam demandauerat bonorum Lombardini mortui recuperandorum, rationem
1344 eorundem bonorum reddere cogat. *Datum Auenioni Idib. Febr. Anno secundo.*

Idem

Idem *Archiepiscopo Genuensi, & Astensi, ac Vercellensi Episcopis*, vt fœdera inter Ioannem Archiepiscopum Mediolanensem, & Luchinum de Vicecomitibus in ciuitate, & agro Mediolanensi Vicarios Ecclesiæ Romanæ: Itemque inter Ebulonem comitem Triuenti Senescalum pro Ioanna Regina Siciliæ, & Capitaneum Generalem, Iacobum de Sabaudia, Ioannem Montisferrati, Thomam, & alios Marchiones Salutiarum, Dominos de Beccaria, Colimorino, de Ponzouo, de Caretto, de Incisa, de Ceua Marchiones, & Sancti Martini, de Valperga, & de Maxino Comites, ac de Castromonte, de Bario, de Riualba, de Branditio, de Limencito, Franciscum de Calamandrana de Vischis, & de Coconato dominos inita seruari curent. *Datum Auenioni X. Kal. Aprilis. anno secundo.* 1344 *Ex ijsdem.*

Idem *Pontio de Peretto Archidiacono Vindocinensi in Ecclesia Carnotensi collectori Apostolico*, vt ex pecunia Cameræ duorum millium florenorum summam tradat Episcopo Vercellensi debitam eidem ab eadem Camera. *Datum Auenioni pridie Idus Decembris. Anno 3.* 1344 *Ex ijsdem.*

Idem *Emanueli Episcopo Vercellensi Apostolicæ Sedis Nuntio*, de quibusdam locis Reginæ Siciliæ occupatis à Luchino de Vicecomitibus Mediolanensi, vt negocia componat. *Datum Auenione 8. Kal. Iunij anno 7.* 1348 *Ex ijsdem.*

Idem *Patriarchis Episcopis, &c.* vt Emanueli Episcopo Vercellensi in Italiam transmisso florenos in singulos dies octenos ad rerum illi necessariarium subsidium persoluant. *Dat. Auenione ix. Kal. Iunij. Anno 7.* 1348 *Ex ijsdem.*

LXXXIV.

IOANNES primus Fliscus Ianuensis MCCCXXXXVIII. initio sui Episcopatus plures inuestit. 1348 *Ex Tab. Ep.*

Eodem anno Pontifex Clemens Sextus *Magistro Lazarino de Fliseo Præposito Ecclesiæ Bugellensis*, eius Capellano *Ex Regestis Bibliothec. Vatic.*

noſcribit, vt caueat, ne bona Emmanuelis Epiſcopi Vercellenſis mortui, quæ habebat, vel ad eum tempore mortis pertinebant, pereant; quare iure agat, & compellat, quos oportet, vt ea reſtituantur. *Dat. Auenioni quarto Kal. Octobris anno ſeptimo.* & paulo poſt Kal. ſcilicet Octobris *Vberto Abbati S. Petri, & eidem Lazzarino Vulteranæ, & Vercellen. diœceſeos* alias de eodem argumento.

Ex ijſdem. Demum *Martino de Bulgaro Archidiacono Vercellenſi, & Bernardino de Rouedis Canonico Terdonenſi*, vt ſuper diſpoſitione bonorum Emanuelis Epiſcopi prouideant, non obſtante cura demandata Lazzarino tunc Præpoſito Eccleſię Sancti Stephani Bugellæ, poſtea electo Albenſi. *Dat. Auenioni 6. Kal. Aprilis anno 7.*

1349 *Ex ijſdem.* Eodem anno Clemens *Ioanni Archiepiſcopo Mediolánenſi* litteris ſuis mandat, vt quæ à Luchino eius fratre Eccleſiæ Vercellenſi occupata fuerant quamprimum reſtitueret. *Dat. Auenioni 8. kal. Martij anno 7.*

1349

Ex ijſdem. Innocentius Sextus Pontifex *Galeatio de Vicecomitibus* ſcribit, vt interdicat ſuis miniſtris, ne dum Epiſcopus Romam petens abeſt, pecuniam exigant à Clero, & Miniſtris Epiſcopi, cum ſoluere non debeant, ob eandem rem mittit Nicolaum de Francauilla Archidiaconum de Ripario Abbreuiatorem ad quem ſe refert. *Dat. Auenioni 14. kal. Martij anno 3.*

1355

Idem Pontifex eadem die hoc ſignificat *Conſilio, & Communi Vercellenſi.*

Ex ijſdem. Idem *Ioanni Epiſcopo Vercellenſi*, ne ſinat comeatus deferri per ſuos fines ad Bernabonem de Vicecomitibus oppida Eccleſiæ, & præcipue Bononiam oppugnantem; Immo adſit Legato Apoſtolico Aegidio Cardinali Sabinenſi, eidem fauorem, & opem præſtet. *Dat. Auenioni 3. kal. Iunij. anno octauo.*

1360

Ex ijſdem. Vrbanus vero Pontifex Quintus *Abbati Sancti Iuſti de Secu-*

Secusia Taurinensis Diœceseos suis literis iubet, vt discordias componat Ioannis Marchionis Montisferrati & Galeatij de Vicecomitibus, vtque Episcopo Vercellensi restituenda curet quæ à Marchione occupata, & quæ Galeatio certis conditionibus obligata fuerunt. Denique inhibeat Episcopo, ne se inter illos deinceps interponat. *Datum Auenioni 6. Idus Februarij anno primo.* 1363

Idem *Marchioni* eodem die super ijsdem, vtque credat Abbati Sancti Iusti ad id misso. *Ex ijsdem.*

Idem *Galeatio* eodem die, & argumento. *Ex ijsdem.*

Idem *Episcopo Vercellensi*, de eadem re, vtque desistat à bello & offensis Marchioni inferendis eodem die, & anno. *Ex ijsdem.*

Idem iterum *Marchioni*, vt desistat item ab inferendis damnis, & bello. eodem anno, & die. *Ex ijsdem.*

Idem *Ministro generali Ordinis fratrum Minorum*, vt cum Abbas S. Iusti nondum pacem ad exitum perduxerit ob varias difficultates iuuet etiam ipse, vt alias fecit. *Datum Auenioni 5. Kal. Octobris. Anno 1.* 1363 *Ex ijsdem.*

Idem *Ministro eidem*, vt cum Marchio Montisferrati quæratur, quod Episcopus occupet nonnulla Castra, de quibus restituendis mentio facta non erat, iubeat Episcopum reddere si quid occupauerit, modo, & ipse marchio restituerit. *Ex ijsdem.*

Idem *Galeatio de Vicecomitibus*. Promittit Ioannem Episcopum Vercellensem alteri Ecclesiæ præficiendum esse cum occasio commutationis idonea, & conueniens illius nobilitati occurrerit, quò decentius transferatur. Interim occupata restitui iubet Ecclesiæ Vercellensi & exercitum amouëri; mittitque Ioannem Abbatem Sanctæ Mariæ Florentinæ vt pacem inter illos componere studeat. *Datum Auenioni 4. Non. Martij anno 3.* 1365 *Ex ijsdem.*

Idem *Ioanni Abbati*, vt curet ea quæ dicta sunt. *Datum vt supra non. Martij.* 1365

Ex ijsdem. Idem *Andruino tt. S. Marcelli Presbytero Cardinali Sedis Apostolicæ Legato*, vt Ioannem Abbatem suum Cancellarium destinare pro ea pace non differat.

Ex ijsdem. Idem *Galeatio de Vicecomitibus*, vt quamuis ab eo litteras acceperit, in quibus exercitum amouendum in aduentu Abbatis promittit, id faciat ante eius aduentum. *Datum*

1365 *3. non. Aprilis.*

Ex ijsdem. Idem *Iohanni Episcopo Vercellensi* significat Galeatiũ Militem scripsisse per Manuelem de Ponzano Iurisperitum vicarium suum exercitum amouendum à Castro Messerani Vercellensis Ecclesiæ, modo Episcopus remitteret omnino offensam communiter, & priuatim ab ijs locis campestribus, nec munitis, quæ Galeatio sese dediderant cum defendere

1365 se non valerent. *Dat. Auenioni 5. Idus Aprilis anno 3.*

Ex ijsdem. Idem *Galeatio* eidem narrat à se scribi Episcopo de remittendis personis, vt dictum est; interim ne differat ipse amouere exercitum, vt supra.

Ex ijsdem. Idem *Galeatio militi*, quem commendat quod exercitum amouerit (vt Manuel doctor eius Vicarius referebat) ab obsidione Messerani, & loca Ecclesiç occupata belli, cum Ioanne Episcopo gesti tempore restituerit, paratusque sit cætera etiam quæ prius tenuerat reddere, modo ecclesiæ prçficiatur persona illi grata, commendat eandem ecclesiam, & promittit Episcopum transferendum esse, si occasio idonea

1365 fuerit. *Datum Auenione 8. Idus Maij.*

Ex Tab. Ep. Hoc item anno 1365. à Carolo 4. Imperatore priuilegio

1365 donatur; in quo Federici primi, Othonis tertij, Henrici 3. & Henrici 4. priuilegia confirmantur, ac de nouo conceduntur.

Ex ijsdem. Idem Vrbanus *Galeatio* eidẽ quçrenti de Episcopo respondet, etiã Episcopum iustè quæri de ipso quod Ecclesiæ Castra retineat. nihil autem cum Pontifice illum tractasse contra Galeatium, proinde Castra restituat, vt præmissum est.

1368 *Datum apud Montem Flasconem iv. Idus Sept. anno 6.*

Gre-

Gregorius xi. Pont. *Raimundo Abbati Conchensi Nuntio Apostolico*, scribit vt Galeatium militem auertere studeat ab offensa Episcopi & Ecclesiæ Vercellensis. *Datum Auenioni Kal. Aprilis anno primo.* 1371 Ex ijsdem.

Idem *Ioanni Episcopo Vercellensi*, vt in quibusdam negocijs pro Ecclesia Romana transigendis adsit Bartholomeo Silauengo Canonico Nouariensi. *Datum Auinioni Nonis Nouembris Anno 3.* 1373 Ex ijsdem.

Idem *Ioanni Episcopo Aretino Nuntio*. Dolet, quod Episcopo Vercellensi opem ferre non possit, interim tamen prouentibus S. Germani Vercellensis Diœceseos ad Philippum Abbatem S. Andreæ, qui Galeatio adhæserat, spectantibus, illo priuato si citra scandalum fore videatur eundem Episcopum iuuari posse, ait, mandatque, vt Administratorem Monasterij constituat neporem Balthassarem de Rosis de Sancta Agatha eiusdam Monasterij Canonicum, donec aliud statuatur de Philippo, & florenos aureos 200. ex ijsdem redditibus attribuat Augustino Ordinis Humiliatorum. *Datum Salloni Arelatens. 7. Kal. Iulij anno 4.* 1374 Ex ijsdem. *siuerotis*

Idem *Ioanni Episcopo Vercellensi*, quem hortatur vt defendere nitatur Ecclesiæ Vercellensis iura, laudat item delata victoria apud Sanctum Germanum Ciuitati munitionibus importandis. Denique hortatur, vt adsit opemferat, inuigilet, mittitque per Albertinum Balardum aureos florenos 15. & postremo quinque per Ludouicum de Parma. *Datum Nouis Auenionen. Diœceseos 16. Kal. Augusti anno 4.* 1374 Ex ijsdem.

Idem *Ioanni Episcopo* vt ad liberos Dominorum de Castellengo, qui Comiti de Sabaudia (cuius parti fauebat Pontifex) dederant se, relaxandos fauorabilem se exhibeat. *Datum Auenioni 19. Kal. Ianuarij anno 4.* 1374 Ex ijsdem.

Idem *Ioanni Episcopo* quem commendat de benè gestis pro Ecclesiæ suæ defensione quemadmodum etiam intellexit Ex ijsdem.

ex missis legatis, hortaturque, vt persequeretur. *Datum Auenioni 4. Non. Maij anno 5.*

1375

Ex eisdem. Idem *Ioanni Episcopo* causam nobilis Antonij de Vassallis alias de Labarda domicelli Vercellensis eius, & Romanæ Ecclesiæ studiosi demandat, eundemque pro fauorabili iustitia commendat. *Datum apud Villam nouam Auenionen. Dioc. 3. non. Julij anno 5.*

1375

Ex eisdem. Idem *Ioanni Episcopo* quod cum intellexerit ipsum fauere Comitiue, vt ait, in Lombardia congregatæ, quæ Genuensi Ciuitati damnum illatura videretur, eaque dere conquesta sit Respublica, tametsi minimè credat, præcipit, sub pœna excommunicationis, vt desistat si forte sit verum, ne odia contra Ecclesiam concitentur. *Datum Auenioni kal. Septembris anno 5.*

1375

Ex Tabulis Cō. Bugellæ. Hic Ioannes Episcopus Anno MCCCLXXVII. Bugellæ, post diuturnas cum Popularibus dissensiones, repente quadam nocte propria in Arce captus, ac in eiusdem Turrim coniectus est; vbi vsq; in annum sequentem detentus esse apparet. Interea Reuerendissimus quidam Sighinus eò destinatus est à Pontifice pacis internuncius ad simultates huiusmodi componendas.

1377
1378

Ex bulla Io. Pont. in fr. in vita Ibleti redd. Ab Vrbano VI. Pontifice Presbyter Cardinalis creatur, vt ex Bullis, quæ infra ponentur clarius apparebit; etsi Panuinius, & Ciacconius hanc rem minus notam habuisse visi sunt, cum à Gregorio XI. creatum fuisse testentur, quo vero anno creatus sit, incertum habemus; cum enim Iacobum à Clemente VII. Antip. dum Ecclesia Vercellen. vacaret ob Ioannis ad Cardinalatus assumptionem fuisse creatum in Bulla Ibleti infra reddita videatur, & Iacobum Anno MCCCLXXX. vt Episcopum alios inuestisse habeamus, verisimillimum est annis præcedentibus MCCCLXXVIII. vel LXXIX. quibus Vrbanus Cardinalium ordinationes habuit, ipsum creauisse, ac postmodum obijsse ante annum MCCCLXXXIV. quo Ludouicus, qui eiusdem Vrbani auctoritate in Episcopat successerat, creatus est Cardinalis.

Non

Non prætermittemus hic monere, Corium in Hist. Mediol. deceptum esse, cum nimirum Othonem Fliscum, nescio quem Episcopum Vercellen. anno MCCCLXXIII. recenset; constat enim ex ipsomet Corio Ioannem post quadriennium Bugellensium discordijs agitatum esse, quem Ioannem ab anno MCCCXLVII. plurimis veterum tabularum testimonijs, Ecclesiæ Vercellensi præfuisse certissimum est. Deceptus autem Corius videtur, quod cum Othonem, & Fliscum Episcopum Vercellensem nominare debuisset, vt antea fecerat, Othonem Episcopum dixerit. Otho autem hic è Brusatorum Novarien sium Gente, Octobri mense præcedentis anni cum Fliſco Episcopo Vercellen. Arcem recuperauerat. *Ex Histor. Coriꝯ*

LXXXV.

IACOBVS secundus de Caballis à Clemente Septimo Antip. Episcopus constituitur, modis, ac formis, vt in Bullis Ibleti de Fliſco infra videbitur; translatus postmodum à Ioanne XXIII. ad Ecclesiam Seuerinen. *Ex Bulla Io. 7. infra reddita à Regeſto bullarum Apoſtol habita.*

Extat de eo mentio ab anno MCCCLXXX. vsque ad MCCCCV. *Ex Tabulis Eccleſiæ.*

1380

LXXXVI.

LVDOVICVS Fliscus ex Lauaniæ Comitibus Ianuensis post mortem Ioannis Cardinalis de Fliſco ab Vrbano VI. Episcopus Vercellensis subrogatur. *Ex Bullis infra reddi tis. Ex Panuin. & Ciacconio de vitis Cardd.*

Ab eodem MCCCLXXXIV. mense Decembri Diaconus Cardinalis Sancti Adriani creatus est. 1384

A Bonifatio IX. cuius Comitijs interfuit Legatus Campaniæ Maritimæ, & Agri Fundani constituitur. *Ex Ciacco.*

Sua diligentia Anagniam de Schismaticorum manibus ereptam sedi Romanæ restituit. *ex eodem.*

Genuam quoque cum Legationis munere destinatur, vt eam Ciuitatem nutantem in Bonifatij IX. fide conseruaret. *ex eodem.*

Mortuo Pontifice, & Innocentio VII. à cuius electione adfuit suffecto, Benedicto XIII. Antipapæ, cum adhæsisset, *ex eodem.*

Aue-

Auenioni commoratus est quamdiu in Concilio Pisano Pontificatus Benedicto abrogatus est.

ex eodem. Demum ad Romanam Sedem Ioanne XXIII. iam creato, à quo Bononiæ, Romandiolæ, & Ferrariæ legatione honestaretur, accessit.

ex eodem. Magno Concilio Constantiensi, & Martini Quinti creationi interfuit; sub quo legatione in Regno Siciliæ functus est

ex eodem. Huius Pontificatus anno VI. Christi vero MCCCCXXIII. 3. Non. Aprilis Romæ diem clausit extremum, corpore Genuam translato, maiorum monumentis in Aede Sancti Laurentij condito.

LXXXVII.

Ex ipsius bulla. MATTHEVS Gisalbertus Episcopus ab Innocentio VII. Episcopus Vercellensis, cum adhuc Ludouicus Episcopatum

1406 teneret, creatus est anno MCCCCVI. 31. Martij, & vt pateat quo iure ambo sederint, hic Bullas Innocentij VII. ex quibus constat referrendas, summatim tamen, non nisi opportunum duxi.

Ex Regesto Bullar. Apostolicarum. *INNOCENTIVS, &c. Dilecto filio MATTHEO de Giselbertis Electo Vercellensi salutem, &c. Diuina disponente Clementia &c. Dudum siquidem Ecclesia Vercellensis ex eo vacan. quod fæl. record. Vrbanus Papa VI. Prædecessor noster Iniquitatis filium Ludouicum, olim sancti Adriani Diaconum Cardinalem tunc electum Vercellen. licet absentem, à vinculo, quo Ecclesiæ prædictæ, cui tunc præerat tenebatur, de plenitudine Apostolicæ potestatis absoluens, vt secum onera vniuersalis portaret, ad Cardinalatus honorem duxit auctoritate Apostolica assumendum. Idem Prædecessor volens tam ipsi Vercellen. Ecclesiæ de Gubernatore secundum cor suum idoneo, per quem circumspecte regi, & salubriter dirigi valeret, quam ipsi Ludouico Cardinali de alicuius subuentionis auxilio pro*

huiusmo-

huiusmodi supportandis oneribus prouidere, ipsam Ecclesiam Vercellensem sic vacantem, cum omnibus Iuribus, & pertinentijs suis, per eum tenendam, regendam, & gubernandam sibi vsque ad dicti Prædecessoris beneplacitum, tam in spiritualibus, quam temporalibus auctoritate Apostolica commendauit: & subsequenter cum dictus Vrbanus Prædecessor, durante huiusmodi beneplacito viam fuerit vniuersæ Carnis ingressus, ipsaque Ver- Vercellen. Ecclesia propterea vacauisset, & vacaret tunc, piæ mem. Bonifacius Papa ix. dicti Vrbani immediatus successor, etiam Prædecessor noster, attendens, quod nullus præter Romanum Pontificem ea vice de prouisione dictæ Vercellensis Ecclesiæ se intromittere potuerat, siue poterat, pro eo, quod dictus Vrbanus Prædecessor prouisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium tunc vacantium, & inantea, dum inhumanis ageret, vacaturarum, ordinationi, & dispositioni suæ & Apostolicæ sedis reseruans, decreuit ex tunc irritum, & inane, si secus super his per quoscumque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari, præfatam Vercellensem Ecclesiam tunc etiam (vt præfertur) vacantem, ex certis rationabilibus causis ad id suum, vt dixit, inducentibus animum, eidem Ludouico tunc Cardinali cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis prædictis per eum similiter tenendam, regendam, & gubernandam in eisdem spiritualibus, & temporalibus concessit, vsque ad ipsius Bonifatij Prædecessoris beneplacitum in commendam. Tandem idem Bonifatius Prædecessor huiusmodi commenda per eum, vt præfertur facta, non reuocata, sicut Domino placuit extitit vita functus. Nos igitur qui ipso Bonifatio Prædecessore sublato de medio, diuina suffragante clementia fuimus ad api-

cem

cem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, proinde attendentes quod dicta Vercellen. Eccleſia adhuc ſecundum præmiſſa vacare noſcatur, nullusque de illa præter Rom. Pont. hac vice, &c. in obſiſtentibus ſupradictis ad eiuſdem Eccleſiæ Vercellenſis prouiſionem celerem &c. diligentem, demum ad te Plebanum Plebis Montis Calui Vercellen. Diœceſis in ſacerdotio conſtitutum literarum ſcientia præditum, &c. Oculos noſtræ mentis de perſona tua Nobis & eiſdem fratribus, &c. accepta, eidem Vercellen. Eccleſiæ, de dictorum fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, prouidemus. Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Kal. Aprilis anno ij.

Ex bulla infra reddita Io. Pont. Epiſcopatu tandem priuatus eſt ex eo quod Gregorio XII. Antipap. adhæſiſſet, vt ex bullis Ibleti infra videbitur.

LXXXVIII

1412 IBLETVS Fliſcus Ianuenſis anno MCCCCXII. 26. Auguſti à Ioanne XXIII. Matthæo Epiſcopatu priuato, Epiſcopus creatus eſt.

Ex Concil. General. Anno MCCCCXV. cum iuſtis obiectis impedimentis præ
1415 ſens Concilio Conſtantienſi eſſe non poſſet, Ioannem de Fliſco Sancti Adriani de Trigandio Præpoſitum Diœceſis Ianuen. miſit, qui ſuo nomine ſeſsioni xx. interfuit.

Quibus vero de cauſis Mattheus priuatus ſit, tum de ipſa in ſchiſmate huius Eccleſiæ Epiſcoporum multiplicitate, ex Ioannis Pontificis Bullis clare conſtat, quarum tamen ſummam hic tantummodo reddimus.

Ex Regeſto bullar. Apoſtolicar. *IOANNES, &c. Dilecto filio Ibleto de Fliſco electo Vercellen. ſalutem &c. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſi quidem cum quond. Vrbanus vj. in ſua obedientia nominatus bo. me. Ioannem tituli Sancti Marci Presbyterum*

rum Cardinalem tunc Episcopum Vercellensem, à vinculo, quo Ecclesiæ Vercellen. cui tunc præerat tenebatur absoluens, ipsum in Rom. Ecclesiæ in huiusmodi obedientia Cardinalem duxisset assumendum, Ecclesia Vercellen. prædicta sic vacante, ipsi Cardinali sub certis modo, & forma per ipsum Vrbanum etiam commendata quond. Clemens VII. in sua obedientia nuncupatus, de Venerabilis Fratris nostri Iacobi de Caualli moderni Episcopi Seuerinien. primò, & deinde Cardinali præfato, per eumdem Vrbanum de dicta Ecclesia alias non disposito, vita functo, Idem Vrbanus de dilecti filij nostri Ludouici Sancti Adriani Diaconi Cardinalis præfatæ Ecclesiæ per huiusmodi assumptionem, vt præmittitur vacanti, ac tandem dicto Ludouico Cardinali per ipsum Vrbanum etiam à Regimine Ecclesiæ Vercellensis prædictæ absoluto, & in huiusmodi obedientia dicti Vrbani in eiusdem Romanę Ecclesiæ Cardinalem assumpto, quond. Innocentius VII. in sua obedientia nominatus eidem Vercellen. Ecclesiæ, quam etiam tunc vacare dicebat, licet ipsi Ludouico Cardinali sub certis modo, & forma, auctoritate Apostolica commendata existeret, de Matthei de Gisimbertis personis duxerunt prouidendum, præficientes eos illi successiue in Episcopos, & Pastores, quomodolibet etiam Ludouici Cardin. necnon Iacobi, & Matthei prædictorum in certa parte possessionis, vel quasi Regiminis, & administrationis, siue Iurium, & bonorum dictæ Vercellensis Ecclesię ad præsens existente. Cum itaque hodie ipse Ludouicus Cardinalis huiusmodi commendæ, sibi de dicta Vercellen. Ecclesia qualitercumque factæ, in manibus nostris sponte, & liberè cesserit. Nosque cessionem huiusmodi eadem auctoritate duximus admittendam; necnon Iacobum à vinculo, si quo eidem Ver-

cellen. Ecclesiæ tenebatur, auctoritate prædicta absoluentes, cum ad Ecclesiam Senerinen. tunc Pastore carentem transtulerimus, eum etiam illi præficiendo in Episcopum & Pastorem, ac Matthæum prædictos ab omni regimine, & administratione sibi forsitan ratione eiusdem Vercellensis Ecclesiæ quomodocunque competentibus, pro eo quod Iniquitatis alumno Angelo Corario olim in sua obedientia Gregorio xij. nominato etiam post & contra diffinitiuam sententiam in generali Concilio, dudum Pisis celebrato contra dictum Angelum, necnon proditionis filium Petrum de Luna olim in sua obedientia Benedicto xiij. nominatum, tunc de Papatu contendentes, latam; per quam inter cætera idem Angelus, & Petrus notorij schismatici, & pertinaces hæretici iusto Dei iudicio declarati fuerunt, temerè adhærere, & fauere præsumpsit, auctoritate prædicta deposuerimus, ac etiam amouerimus, & propterea secundum præmissa, dicta Vercellen. Ecclesia vacauerit, & vacare noscatur ad præsens, Nos ad eiusdem Vercellen. Ecclesiæ reintegrationem omnimodam, eiusque prouisionem de qua, &c. Demum ad te clericum Ianuen. Dat. Rome

1412 *apud Sanctum Petrum vij. Kal. Sept. Anno iij.*

LXXXIX.

Ex Reg. bul. Cunc. Ap.

1437 GVLIELMVS Diderius de Ecclesia Bellicen. ad Vercellen sem per mortem Ibleti Episc. translatus MCCCCXXXVII. 18. Decemb.

Ex Concil. Generalib.

1439 Anno MCCCCXXXVIIII. Concilio Basileensi interfuit, à quo simul cum Ludquico Sanctæ Susannæ, & Ioanne Sancti Calisti Presbb. Cardu. Thoma Duncheldense Episcopo, Thoma de Courcellis, & Martino Bonifilij in Theologiæ Magistris, & Ioãne de Vuathenstein Archidiacono Zagabien. seu Zegobien. Decretorum Doctore, ad extrahenda, colligenda,

da, ac in vnum volumen redigenda sacri Constantien. Concilij Decreta deputatus fuit, quæ dictum Basileen. Concilium ad perpetuam memoriam, ac robur Bulla communiri iussit.

XC.

IOANNES de Giliaco Cameræ Apostolicæ Clericus Episcopus Vercellensis eligitur MCCCCLII. xiij. Octobris à Nicolao Papa V. à quo Nuntius cum Priore de Coysia Maurianen. & collector redditnum in Dominio Sabaudiensi Cameræ Apostolicæ spectantium eod. anno sexto non. Martij deputatur. ijsque anno sequenti per Pontificias literas datas 1553. nono Kal. Maij donatur. *Ex Regestis bullar. Cam Apostolic.* 1452

XCI.

GEORGIVS de Giliaco in locum Ioannis à Callisto Tertio vltima Maij MCCCCLVI. suffectus est. *ex ijsdem.* 1456

Georgium hunc Fratrem Ioannis præcessoris fuisse non dubia fortasse coniectura existimare possimus cum in Archiuio nostro Sabaudiæ Ducis quoddam extet de quibusdam negotijs peragendis Ioanni de Giliaco Episcopo & Georgio eius fratri mandatum.

XCII.

AMEDEVS de Nores xx. Martij MCCCCLVIII. ab eodem Callisto Episcopus eligitur. *Ex Regestis bullar. Cam Apost.* 1458

Huius Epitcopi tempore Pius II. Pont. Præpositurum S. Gratiani Vercellen. vacantem per cessionem Antonij Rinoire collitigantis vnit Congregationi Canonicorum Lateranensium per bullam datam Romæ apud S. Petrum pridie Idus Decembris anno Pont. primo ab Incarn. 1458. Idem Pont. Monasterium S. Andreæ Ord. S. Aug. siue S. Victoris eidem Congregationi vniuit, sed non habuit tunc vnio effectum sed Paulus II, cum dubitaretur de huiusmodi vnionis validitate, instante Ludouico Sabaudię Duce, cuius filius Franciscus monasterium illud iure comendæ obtinebat, vnionem factam

Ex Regestis Cam. Apost. 1458 *ex ijsdem.* 1458

vt inde Congregationis reformatio in dies vigeret confirmauit, reseruata quadam pensione Augustino de Lignana & vsu habitationis domus quam inhabitare consueuerat bo. mem. Gulielmus Episcopus Vercellen. per bullam dat. v. non.
1466 Octobris anno Pont. 3. incar. 1466.

ex ijsdem. Anno sequenti idem Pontifex non obstante vnione annexione, vel incorporatione facta Prepositure S. Bart. extra muros Vercellen. Ord. S. Aug. mense Episcopali Vercellen. cum vacaret, eam Latino Card. Vrsino per obitum Io. Martini de Aduocatis Canonico ord. S. Aug. eam iure comendæ
1467 obtinentis concesit anno 1467. Kal. Iunij anno Pont. 3.

Ex Tabella Bonbomy. Hoc Episcopo sedente inueniuntur plures inuestituræ ab Henrico de Alimbertis Episcopatus administratore datæ. Quare cum alicubi Henricum ipsum inter Episcopos Vercellen. adnumeratum legimus, falsum esse apparet; fuit enim Henricus huius Ecclesiæ administrator, non Episcopus.

XCIII.

Ex Reg. Iul. Canc. Ap. VRBANVS. Boniuardus Monasterij Beatæ Mariæ de Pinarolio Ordinis Sancti Benedicti Abbas Ordinem ipsum expresse professus, & Presbyter, ac prioratus S. Victoris extra muros Gebenen. ordinis Cluniacen. commendatarius per obitum Amedei Episcopus Vercellensis creatur à Paulo
1469 II. Pontifice per bullas datas 1469. pridie Idus Iulij anno 5. monasterio B. Mariæ dispensatione Apostolica retento, Prioratu dimisso.

ex ijsdem. Ab eodem Pont. cõmendam prædictam Prioratus S. Victo-
1469 ris extra muros Gebenen. Ordinis Cluniacen. vacan. per cessionem Augustini Abbatis Casænouæ Cisterciensis Ordinis, qui vt vacantem ob supradictam promotionem habuit iterum Vrbanus obtinet anno 1469. 13. Kal. Ianuarij anno 6.

Ex ijsdem. Anno MCDLXXII. 3. Id. Februarij anno 1. Sixtus 4. Pon-
1472 tifex præposituram Ecclesiæ Sancti Bartholomæi extra muros Vercellensis ordinis Sancti Augustini percessionem Latini Episcopi Tusculani Cardinalis Vrsini & S. D. N. PP. Camerarij perpetuò menia Episcopali Vercellen. vniuit rursus, reser-

reſeruata eidem Cardinali penſione trecentorum ducatorum auri de Camera.

Hoc item anno 3. Kal. Aprilis Vercellis obijt Amedeus VIII. Dux Sabaudię maximo cum omnium merore ac non ſine magna ſanctitatis opinione & gloria miraculorum vt Boſsius, qui circa hæc ferè tempora Hiſtoriam Mediolanen. conſcripſit & Archiuij noſtri ſcripta complura teſtantur. eius corpus ad Eccleſiam Cathedralem magno apparatu delatum, & ſepultum eſt, nouemdialibus ibidem officijs celebratis ab Archiepiſcopo Tarentaſien. Vercellen. & Taurinen. Epiſcopis, maxima prælatorum, ac religioſorum frequentia. 1472 *Ex Tabulis Eccleſiæ & Boſſii Hiſtor. Med.*

Anno 1474. Idem Pontifex Caſale Sancti Euaſij inſigne oppidum dioceſis Vercellenſis in Epiſcopatum erigit, eique oppida, & Pagos vltrà ſexaginta eiuſdem dioceſis attribuit quemadmodum ex his ipſis Pontificis verbis apparet. *Ex lib. bull. Cam. Apoſt.* 1474

Oppida vero, Caſtra, Villæ, & loca diſmembrata, & conceſſa, vt prefertur, ſunt iſta videlicet, ex dioc. & c. Vercellen. & in dominio temporali tamen dicti Marchionis; Caſale, Torcellum, Cuniolium, Pons Turris cum Villis campeſtribus, Caminum cum Villis, Caſtrum Sancti Petri cum Monaſterio Rocchæ, Gabianum, Mons ceſtinus cum Villa Miroli, Cauagnolum, Bruſaſcum cum Villis, Muruſengum cum Villis, Villadialis cum Villis, Tuncum cum Villis, Montilium cum Villis, Mons Caluus cum Villis, Grizanum, Otilus, Oliuola, Fraſinellus, Roſignanum cum Villis, Caſtrum Giulianum, Cella ſola, Conzanum, Camagna, Tenicula, Lù, Vignolæ, Altauilla, Caſurtium, Occimianum, Caſtrum Grane, Mirabellum, Baldeſcum, Sanctus Georgius, Triuilla, Cereſetum, Ozanum, Sena longa cum Villis, Solughellum cum Villis, Ponzanum, Salabo, Mons bellus cum Villis, Ceruria, Odalingum Sturie, Odalingum Prati, Montaleuum, Caſtellectus, Nicelorum, locus plani Cerreti, & etiam

vltrà

vltrà Padum Oppidum Tridini, ex dioceſi vero Aſten. & in Dominio temporali tantum dicti Marchionis, vt præfertur Flizzanum, Mons magnus, & Calianus. Quas omnes Terras, &c. In fine.

Datum 14. *Kal. Maij anno* 3.

1474 *Ex eiſdem.* Et paulo poſt 5. ſcilicet Idus Maij. Bernardinum de Tibaldeſchis primum Epiſcopum conſtituit.

Idem Pontifex præpoſituram Sancti Gratiani Vercellen. perpetuo dictæ menſæ Epiſcopali vnit, ea à Congregatione Lateranenſi, cui fuerat aliàs vnita, omnino abdicata, ſub Dat. Romæ Kal. Iulij anno Pont. ſexto Incarn. 1477.

1477 *Ex Tabulis Eccleſiæ.* Anno MCDLXXVIII. 14. Kal. Sept. Duciſſa iolanda Regis Frãcorum ſoror Amedei Ducis mortui vxor in Oppido Mõtis caprelli dioc. Vercellen. deceſsit. eius corpus delatum eſt Vercellas in Templo S. Euſebij apud virum, ſacris offitijs per tres Epiſcopos peractis Taurinen. Vercellen. & Bellicenſe.

Ex Regeſtis bull. Cam. Apoſt. Anno MCDLXXX. 6. Maij Idẽ Pont. ad inſtãtiam Vrbani Epiſc. Vercellen concedit, vt Eccleſia, & domus præpoſituræ Sancti Gratiani erigatur in Monaſterium Monialium Sanctæ Claræ cum conditione vt ibidem exerceatur Cura per Parrochum ab Vrbano Epiſcopo, & ſucceſſoribus conſtituendum, & amouendum & Moniales tres Miſſas ſingulis diebus celebrari [illegible]

Ex Tabulis Eccleſiæ. Anno MCCCCVC. indictone xij. Die 20. Iulij in Monaſterio Beatæ Mariæ Pinarolij ad inſtantiam Canonicorum Sancti Euſebij collegium ſex pauperum Clericorum puerorum cum obligatione inſeruiendi Eccleſiæ, ſub quadam præſcripta forma erexit: cuius erectionis contemplatione Ioannes de Gromis Bugellen. Archidiaconus Ippored. & Canonicus Vercellen. Cappellam Beatæ Virginis, in qua miſſam de dicta præfati Clerici quotidie canerè ex inſtitutione debent, decenter ornauit: cui argentea vaſa, & ornamenta diuino cultui inſeruientia quamplurima obtulit; domum item, quam à fundamentis conſtruendam curauerat, huic collegio liberè, ac perpetuo donauit. Capellaniam, quam ad Sancti Euſebij altare obtinebat, ceſſit; necnon auctor fuit,

1495

vt

vt Gulielmus Bardinus Canonicus Taurinensis Capellaniam ad altare Sancti Ioannis Euangelistę, cuius ipse Rector erat, Collegio quoque renunciaret; ipse vero Episcopus Ecclesiam Sancti Petri de Ferla nuncupatam, & Ecclesiam Sanctorum Quirici, & Iulitæ de Olcenengo, huic Collegio perpetuo vniuit. Domum denique propriam, quam à quon. Gulielmo Margaria Canonico Vercellen. dictæ Ecclesiæ Sancti Petri contiguam emerat, libere concessit.

Obijt Pinarolij, quò propter ingraescentem ætatem secesserat; & coadiutore in Episcopatu à Pontifice obtento, vt mox dicetur. Eius corpus in sacello Diuæ Luciæ in Aede Sanctæ Mariæ conditum est, ad cuius marmoreum sepulchrum hæc inscriptio adhuc visitur. *Ex Tabulis Abb. Pinor.*

Ex ipsius sepulchro.

VRBANI Boniuardi Vercellen. Antistitis Ducum Sabaudiæ Consiliarij, qui huius Monasterij Regimini, annis 33. præfuit, Claustrum, Capellas, Chorum, Tiunas, duo Molendina cum Masisinaschi, & Renæ Grangijs erexit, Palatium adauxit. Hanc Diuæ Luciæ Aram dictina missa perpetuò ante conuentualem celebranda dotauit Sixti iiij. Fontificis Maximi sex Innocentum Collegium instituit, felicilerque obijt. Anno Salutis 1499. Die xvj. men. Iulij.

XCIV.

IO. STEPHANVS Ferrerius à Bugella Sancti Stephani de Citradella Vercellensi vij. Idus Nouembris MCCCCLXXXXII. deinceps Sanctæ Mariæ de Stafarda Taurinen. Monasteriorum Commendatarius. Sacræ Romanæ Rotæ Auditor, & Sedis Apostolicæ Prothonotarius. *Ex Reg. bul. Canc.* 1492

Ab Alexandro VI. MCCCCLXXXXIII. 24. Aprilis in Episcopali Ecclesiæ Vercellen. administratione Vrbano Boniuardo datus est coadiutor. *Ex ijsdem.*

Demum Vrbano vita functo, in eadem Dignitate successit, & in Episcopatus possessionem postera die solemniter venit, anno scilicet MID. xvij. Iulij. 1499

Inter

Ex Tabulis Eccleſiæ. Inter cætera præclara quæ geſſit, ſynodum etiam coegit, in qua multa ad Eccleſiæ vtilitatem ſancita ſunt.

Ex Sigonio de Epiſcop. Bonon. Anno MDII. menſe Ianuarij cum Iulianus Ruuereus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. Epiſcopus Bononien. Ioannem bentiuolum iam tum ferre non poſſet elate nimis in Vrbe ſe gerentem Romam repetijſſet ac proximò Eccleſiæ adminiſtratione ſe abdicaſſet Alex. VI. Pontifex eam Io: Steph. tradidit ac proximo menſe Iunij vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli S.R.E.Card.tit. S. Vitalis publicauit. quem 1600. cum xij. alijs creauerat; non multo poſt tit. SS. Sergij, & Bacchi tradito.

1502

Ex lib. præfect. cerem.

Ex Tabulis Archiepiſc. Bonon. & lib. cerem. Litem cum Ferrariæ Duce de Plebis, & Centi Caſtris quæ poſt ceſſionem Iuliani, & ante prefectionem Io. Steph. Pontifex Duci cõceſſerat diù habuit, aliaq; egit, dum Epiſcopatum Bononien. regeret, quę ſparſim à Sigonio in libro de Epiſcopis Bononienſibus recitantur, & hic reddimus illius ipſis verbis, quamuis præcipua tantum.

Ioannes Stephanus Ferrerius 3. idus Aprilis poſſeſſionem per procuratorem accepit. Inde Card. creatus, proximo 3. Kal. Martias Vercellis Bononiam venit, benigne ab omnibus magiſtratibus, clero, populoque ex more ad portum occurſante receptus. Vbi vero ad S. Petrum acceſſit peditibus Ioannis Bentiuoli mulam, qua vehebatur ſibi vetere ſtratorum licentia vindicantibus dedit.

Hic ceremonias cognoſcere Cardinalitias ſtudens Paridi Graſſo Ciui, & Canonico Bononienſi, qui poſt Piſaurenſi Eccleſiæ præfuit, negotium dedit, vt librum de ceremonijs à Cardinalibus Epiſcopis in ſuis Eccleſijs adhibendis conſcriberet, ac mox formatis Eccleſiæ rebus 16. Idus Martias Romam deceſſit.

Montem Pietatis ad pecunias pauperibus erogandas erectum probauit.

Item dum de aduentu Pontificis agit.

Itaque Iulius victor die S. Martini triumphali pompa

vrbem

vrbem iniuit omnibus Cardinalibus in primisque Ferrerio Episcopo comitante stipatus.

Digresso autem Pontifice.

Io: vero Stephanus in Vrbe remanens die Paschatis prima Missarum solemnia celebrauit, & cum Bentiuoli vrbem se armis recipere velle pro re haud vana iactassent, mox, vt ille rumor inuasit, trepidanti populo auctor fuit, vt gratias Deo ageret, atque in festo S. Petronij omnes SS. reliquias ad eius Basilicam ad excitandam religionem populi deportaret.

Ecclesiam S. Georgij fratribus seruitis obseruantibus ex decreto Pontificis assignauit, atq; indę Romam discessit.

XCV.

IVLIANVS de Ruuere Saonensis Sixti Papæ iiij. fratris filius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tituli Sancti Petri ad Vincula, Bononiensi Ecclesia dimissa, Vercellensi Præsul est constitutus. Hanc cum duobus ferè annis prudentissimè gubernasset, ac pro sua in eam pietate vestibus sacris, nec paucis, nec vulgaribus exornasset, ad Pontificatum assumptus, Iulius huius nominis secundus appellatus est; cuius actiones præclaræ, cum satis per se notæ sint, nostra expositione minime egent. *Ex Tabulis Episcopal. Vercell.* 1502

XCVI.

IO: STEPHANVS Ferrerius Cardinalis Bononien. nuncupatus à Iulio ij. Pontifice Ecclesiæ Vercellensi per illius ad Pontificatum assumptionem vacanti iterum præficitur anno domini 1503. Ecclesia Bononiensi ex Apostolica dispensatione ac Monasterijs S. Stephani Vercellen. S. Mariæ de Stapharda Taurinen. & S. Saluatoris Casalis Valloni Nouarien. & quibuscunque alijs retentis. *Ex ijsdem.*

Cum Sebastianus Ferrerius eius pater Ecclesiam & Monaste- *Ex Regestis Can. Ap.*

nasterium insignis structuræ à fundamentis in Oppido Bugellæ ædificasset, atque dotasset, ipsumque Canonicis Regularibus Lateranensibus attribuisset, Io: Stephanus huiusmodi Ecclesiam sub titulo S. Sebastiani in præposituram auctoritate ordinaria erexit, atque ad adiuuandam Canonicorum inibi comorantium sustentationem, prioratum secularem ministrarum nuncupatum SS. Thomæ, & Bernardi de Campilia, Vallis Andurni (cedente, vel decedente Priore Andrea Ferrerio eius fratre) dictæ præposituræ vniuit, quæ quidem vnio habuit effectum per cessionem dicti Andreæ, atque nouam
1504 Pontificis Iulij II. concessionem datam non. Aprilis 1504. anno Pont. I.

Ex libris Annatarum Camera. Huius Card. tempore Iulius II. Pontifex Prioratus SS. Michaelis de Bencio Cellæ nuncupatum, & Petri Leuitæ de Saluzzolia Ord. S. Bened. per cessionem Nicolai Tarsij S. Mariæ de Clauasia apud Bugellam ord. Monachorum S. Ieronymi perpetuò vniuit per Bullam dat. Ostię 4. nonas Maij
1506 anno 3.

Cæterum Ioannes Stephanus fuit omni literarum genere eruditissimus; immo quo tempore per munera Episcopalia licebat, in illarum studia assiduè incumbebat, quarè meritò à Ioanne Trithemio Abbati Spanheimensi, quem secuti sunt alij de Viris Illustribus, inter Illustres viros suæ ætatis relatus est per hæc verba:

Ex Trithemio de Viris Illustr. Io: *Stephanus floruit hac nostra tempestate natione Italus, Vercellarum Episcopus, Cardinalis Bononiensis, & rei literariæ cultor exactissimus, quem quantò excellentioribus, & eminentissimis fortuna dignitatibus euexit, tantò natura nobilioribus decorauit animi dotibus. Hic nempe cuncta etiam dignitatum clarissima fastigia otio literario, & rerum exquisitis naturis semper postposuit, & suo tandem infatigabili labore, & industria effecit, vt Aristotelis magna moralia priscis sæculis nunquam prægnita, nobis communia fecerit, quæ Iacobus Faber nostri sæculi*

Philo-

Philosophus eminentissimus, & Philosophiæ defensor acerrimus, ipsius auspicio impressioni commisit, posteris fructus non exiguos allatura.

Interfuit Comitijs, quibus Pius iij. & Iulius ij. creati sunt Pontifices. *Ex lib. Prælator. Cer.*

Romæ tandem iij. Idus Octobris morbo decumbens mortem opetijt in titulo sepultus, quem adeptus erat Sancti Clementis; translatus postea Bugellam ad S. Sebastiani edem. *Ex ijsdem.*

XCVII.

BONIFATIVS Ferrerius Ioannis Stephani Cardinalis frater, Sancti Stephani Vercellen. & S. Stephani Ipporedien. Monasteriorum Commendatarius. *Ex Reg. bullar. Apost.*

Eiusdem Ciuitatis Ippored. MCCCCLXXXXVII. mense Iulij Episcopus, ac deinceps Administrator Ecclesiæ Nitiensis cum Io. Stephano fratre permutatione facta Ipporedien. dimissa, Vercellen. Ecclesiæ præficitur anno MDIX. v. Nou. 1509 *ex ijsdem.*

XCVIII.

AVGVSTINVS Ferrerius Ioannis Stephani Card. & Bonif. Episcopp. frater, Bononiæ 29. Nou. 1506. Episcopus Nitien. declaratus S. Stephani Rodobij Præpositus per cessionem Io: Stephani fratris efficitur anno 1508. non. Ian. ac per eiusdem cessionem Sancti Saluatoris loci Casalis Valloni Cist. Ord. Abbas 1509. sexto idus Febr. demum dimissa Nitien. Ecclesia ad quam electus non dum consecratus fuerat Episcopus Vercellen. constituitur 1511. xv. Kal. Octobris vacare ex eo quod Bonifatius Episcopus Ipp. qui habebat regressum cum conditione [illegible] decedente Io: Stephano vnam dimitteret non dimisit. Ead. die Augustinus obtinuit retentionem Monasterij S. Saluatoris. *Ex lib. Prælator. Cer.* *Ex Reg. bull. Canc.* 1511

Huius Episcopi tempore anno scilicet MDXV. 13. Kal. Iulij anno Pont. 3. Leo X. Prioratum S. Fidis de Gregio ordin. 1515 *Ex ijsdem.*

S. Bened. Vercell. dioc. monasterio S. Sebastiani de Bugella ord. Canonicorum Lateranen. perpetuo vniuit vacantem per dissolutionem vnionis à monast. S. Stephani Hiporegien. instante & consentiente Bonifatio Episcopo Hiporeg. dictum Monast. S. Stephani in commendam obtinente.

Ex ijsdem. 1516 Idem Pontifex anno sequenti, scilicet MDXVI. 3. Idus Aprilis instante Aug. Episcopo Monasterium & Ecclesiam S. Bartholomei extra muros Vercellen. ad Præpositurum S. Bart. mense Episcop. vnitam pertinentia congregationi Fratrum Iesuatorum S. Ieronymi ad diuini cultus augumentum perpetuò vniuit.

Ex ijsdem. 1516 Eodem anno MDXVI. xi. Kal. Ian. anno 4. Idem Pontifex prioratum S. Stephani cellę nuncupatum loci bulgari maxini ordinis Sancti Benedicti Ipporediensis dioc. vacan. per cessionem Andreæ Ferrerij, Ecclesiæ S. Sebastiani Bugellæ perpetuo vniuit.

Ex ijsdem. 1517 Anno MDXVII. 5. Kal. Martij anno Pont. V. idem Leo X. Augustini precibus & consensu colleggium octo Choristarum ex reddit ibus Parochialis S. Stephani de Gregio & alijs, quibus mensa Episcopalis in locis Bulgari & Villate Vercellen. & Nouarien. dioc. ratione vnionum ipsi mensæ præpositurarum S. Bart. & S. Gratiani intra muros Vercellen. factarum potiebatur, erexit.

Ex ijsdem. 1518 Anno sequenti MDXVIII. nono Kal. Nouembris anno 6. Idem Leo Ecclesiam cellæ nuncupatam loci Viueroni Vercellen. dioc. vacan. per cessionem Ioannis de furno Ecclesiæ S. Sebast. Bugellæ perpetuò vniuit.

Aedes Episcopales demum Augustinus auxit & Ecclesiam cruce, baculo pastorali ac pacis instrumento argenteis affabre elaboratis inter cætera donauit.

Obijt anno 1536.

XCIX.

Ex lib. Lull. Cam. Apos. 1536 BONIFATIVS Ferrerius dum Episcopatum Eppore dien. obtinebat sess. vij. xi. & xij. Lateranen. Concilij interfuit.

A Leo-

A Leone X. Anno MDXVII. prima Iulij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. Sanctorum Nerei, & Achilei creatus, ac Ipporegien. nuncupatus est. *Ex Pannin. & Ciacc. de vit. Car.*

Quo deinde Pontifice mortuo. Anno MDXXI. dum Romam ad Conclaue contenderet Ducis Mediolanen. iussu interceptus est. Quo facto commoti Cardinales accersito Ducis, qui nuper ad Vrbem venerat Oratori dederunt in mandatis, vt de eius liberatione cum Duce omnino ageret, denunciantes se in ipsum Ducem animaduersuros pro rei grauitate, nisi quam citissime liberaretur, & propterea ingressum in Conclaue dies octo prorogarunt. *Ex lib. præsent. cer. & Guicciard. Hist.*

Postea sub Paulo III. Vercellensi Ecclesiæ iterum ratione regressus reseruati præficitur anno Domini MDXXXVI. 1. Septembris; sed eam paulo post, xx. scilicet, Decembris Petro Francisco Fratris filio, cum administrationis reseruatione resignauit. *Ex Regestis bull. Apost.*

Is, cum apud Vicentiam Concilium celebrari deberet legatus vnà cum Illustrissimis, & Reuerendissimis Simoneta, & Brundusino Cardinalib. à Pontifice Paulo iij. MDXXXIX. 21. Aprilis electus est. *Ex propositt. Concilior. & Platinæ.*

Exeunte vero anno die 12. mensis Decembris Bononiæ legatus declaratur, vbi per biennij circiter mansit, ibiq; Collegium Ferrerium certis præscriptis statutis pro sustentatione nobilium pauperum Pedemontanorum studiosorum (quorum electio, & approbatio ad familiæ suę successores spectaret) instituit. *Ex ipsius relatione.*

Aedes Episcopales auxit; ac multa argentea Ecclesiæ Vercellen. liberaliter largitus est. *Ex ipsius insignibus.*

Interfuit Comitijs, quibus Adrianus VI. Clemens VII. & Paulus III. creati sunt. *Ex ijsdē, & lib. cerem.*

Sub Clemente VII. Episcopus Alban. post Prænestin. ac sub Paulo III. Sabin. & Portuen. factus est. *Ex ijsdem*

Obijt Romæ MDXXXXIII. mense Ianuarij, sepultus in Ecclesia Sanctæ Trinitatis, translatus deinde ad ædem S. Sebastianiab ipsius patre extructam in Oppido Bugellæ Vercellen. dioc. *Ex ipsius testam. executione.*

PE-

C.

1536 PETRVS FRANCISCVS Ferrerius Ioannis Stephani, & Bonifatij Cardinalium, & Augustini Episcoporum ex Fratre Nepos, animi magnitudine, virorumq; Principum consuetudine insignis, Sancti Stephani Vecellen. per resignationem Bonifatij Patrui MDXXVIII. 4. Martij Commendatarius, & Apostolicus Referendarius factus est, deinde anno 1536. vt dictum est Vercellen. Episc. atq; in Capella S.D.N. assistens.

Ex Reg. bul. Apostol.

Ex Histor. Fr. Leand. Bononiæ MDXXXX. sub Paulo III. Bonifatij Cardinalis Ipporedien. Patrui Prolegatum egit.

Ex Concil. ipso & statutis editis. Concilio Tridentino presens cum esset, quædam in suæ diœcesis vtiliratem salubriter sanciuit, ac MDLII. vltima Februarij ædita, Vercellas transmisit.

1552 *Ex Tabulis Ecclesiæ.* Eius Concilij decreta, vt exequutioni mandarentur magno animi ardore curare cœpit, ac precipue Seminarium ad eiusdem Concilij mentem primus in Vrbe instituit.

Ex lib. Prefector. Cer. Idem Carolo Cardinali Caraffę legato ad Philippum Hispaniæ Regem in Belgium eunti à Paulo 4. adiunctus est.

1557 *Ex Regest. brev. Apost.* Ad Venetam Rempublicam Nuncius Apostolicus anno MDLX. mense Ianuario declaratus, & Martio missus est à Pio IIII. Pontifice.

1560 *Ex Panuin. & Ciacconio de Vit. Cardd.* Ab eodem nondum expleto anno scilicet 26. Februarij 1561. creatus est Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis tituli Sancti Cęsarei in Palatio primum, postea Sanctæ Agnetis in Agone, demum Sanctæ Anastasiæ.

1561 *Ex Regestis bullar. Ap.* Vercellensem Ecclesiam Guidoni Fratris filio MDLXII. resignauit.

1562 Interfuit Comitijs, quibus Pius V. creatus est.

Ex Pau. & Ciaccon. de Vit. Cardd. Obijt Romæ MDLXVI. pridie Idus Nouembris sepultus in Sanctæ Mariæ Maioris Templo, & à Nepote suo Cardinali Guidone marmoreo sepulchro statua, & hac inscriptione donatus.

PETRO

D. O. M.

PETRO FRANCISCO Ferrerio tit. Sanctæ Anastasiæ S. R. E. Presbytero Cardinali Ioann. Stephani Bononien. & Bonifatij Portuen. Cardinalium ex fratre Nepoti, Philiberti Epporedien. Card. Fratri, Guido Card. Vercell. Patruo opt. atque optimè de se merito posuit. Vixit An. LIIII. Obijt Anno salutis MDLXVI. prid. Id. Nouem. *Ex ipsius sepulchro.*

CI.

GVIDO Ferrerius Petri Francisci Cardinalis ex Fratre nepos Sancti Stephani de Cittadella Vercellen. S. Michaelis de Clusa Taurinen. & S. Steph. Ipporeggien. monasterior. Comendatarius, animi cãdore, pietate, comitate, multipliciq; literarum cognitione insignis, Parentibus Sebastiano Casaualonis Villatæ, & Pezzanæ Domino, & Magdalena Borromea, anno MDXXXVII. mense Augusti natus. *Ex Regestis bull. Apost.* 1562

A Pio IIII. Pontifice primum factus est vtriusque Signaturæ Referendarius, deinde Patruo Petro Francisco cedente MDLXII. 2. Martij Vercellen. Episcopus. 1562 *Ex Regestis Cam Ap. Exipso Cõe.*

MDLXIII. Sacro Concilio Triden. interfuit 1563

Anno vero MDLXIIII. mense Iunij ad Venetam Rempublicam Nuncius Apostolicus missus. *Ex Regestis Breu. Apost.* 1564

Demum anno sequenti MDLXV. 12. Martij S. R. E. ab eodem Pontifice Cardinalis Sanctæ Euphemiæ, Patruo Cardinale superstite, renunciatus est. Quare Mediolanum profectus Cardinalitium Galerum à sanctissimo viro Carolo Cardinali Borromeo Pontificis Nipote accepit, ibique Concilio Prouinciali primo mense Octobri habito interfuit. 1565 *Ex Panuin. & Ciacc. de vit. Cardd.*

Eodem anno & mense ad Maximiliani Austriaci electi Imperatoris sorores in Italiam comitandas vnà cum eodem Carolo Cardin. consobrino legatus deputatur. *Ex lib. præfect. cerem.*

In Episcopatu laudabiliter admodum se gessit cum à Pio V. Pont. 1567. mense Martij indultum ad vitam visitandi per *Ex Regestis breu. Apost.*

se

se vel per alios suam Ecclesiam Vercellen. & illius personas & bona Ecclesiastica etiam exempta & illa reformandi & corrigendi prout sibi videretur, obtinuisset.

Ex Tabulis Ecclesiæ. Seminarium, quod P. Franciscus Cardinalis tenui admodum Censu erexerat multis adiunctis Benefitijs stabiliuit :
1570 Collegiumque Innocentum MDLXX. 4. Iulij illi annexuit. Aedes ad habitandum proprio ære constituxit, Ecclesiam Sancti Petri nomine contiguam, pro Clericorum commodo instaurauit.

Ex ijsdem. Litem, quæ inter Episcopos, & Canonicos Ecclesiæ ferè immortalis effecta diù viguerat, prudentissima transactione MDLXX. mutuo partiũ consensu sustulit, ac penitus aboleuit.

Sanctimoniales S. Agathæ Cist. ord. extra muros Bugellę degentes, ad Monasterium S. Catherinæ intra Oppidum constructum, consulto Pontifice, deque illius auctoritate, transtulit ac pro fabricæ perfectione medietatem fructuum Hospitalis Maioris & S. Mariæ de Plano ad biennium attribuit.

Ex ijsdem. Sanctimoniales item S. Petri Ordin. Cistercienſis ex Agro Lentensi in Vrbem transtulit, eisque Sancti Petri Martyris ædes attribuit, dictæ Ecclesiæ Sanctimonialibus ord. S. Aug. iuxta tamen instituta S. Dominici, quæ maxima laborabant inopia, Sanctę Margaritę Monasterio eiusd. ord. adiunctis.

Ex ijsdem. Chorum Ecclesiæ Cathedralis insignis structuræ forma, proprio ærę ædificare aggressus est; quem etiam relicto Episcopatu, successoris, & Canonicorum adiumento est prosequutus.

Ex ijsdem. Ecclesiasticam disciplinam, ardenter amauit, synodum habuit, plurimaq: ac salubria decreta ædidit.

1572 Episcopatui renunciauit Anno MDLXXII. pro quo Monasterium Nonantulanum accepit. Inde Spoleti Ducatum ex auctoritate Pontificia gubernauit.
Ex ijsdem. & Regest. Bullar. Apostolicarum.

Amorem tamen erga Ecclesiam, omnesque sibi subditos nunquam abiecit; sed quotiescumque sese obtulit occasio, multa, tum in Ciuitatem, tum in vniuersam diœcesim contulit beneficia. Bina enim collegia post resignationem, Pontificia auctoritate, instituenda curauit anno 1581. Alterum Iesuitarum idibus Martij, cui membrum, vt aiunt Lachelen-
Ex Tabulis Ecclesiæ.

se

se, quod erat Monasterij S. Stephani, annexuit; alterum Idib. Maij Beneficiatorum numero xvj. qui Ecclesiæ Sancti Eusebij inseruirent.

Neque in Ecclesiæ Vercellen. tantum, sed in aliarum etiam sibi creditarum gratiam in omnibus, quæ ad Dei obsequium pertinebant, prout sese daret occasio se continuè occupauit, nam in Ecclesia Nonantulana, plumbea lamina inuenta literis exarata, quibus sacrum Sancti Siluestri primi Pontificis Corpus, ibidem, ab Adriano primo Pontifice Anselmo primo Nonantulano Abbati concessum, quiescere patebat; huiusmodi sacrum pignus honorificentissime in vrna columnis erecta super Aram maiorem ipsius Eccl. recõdidit. *Ex Tab. Ecclesiæ Nonant.*

Monachos item Sancti Benedicti inter Allobroges, sine regulis relicta Ord. obseruantia palantes, de summi Pontificis venia in vnum congregans, obseruantibus vnire statuerat, academiamque qua literis instruerentur eo animo instituere, vt hac reformatione Monasteria in Regno Galliæ existentia in vnum coalescentia fidem Catholicam conseruarent, & hæreticis ingressum in Italiã prohiberent; quod tamen maximis obiectis impedimentis exequutioni mandare nequiuit. *Ex ipsius Card. scripsit.*

A Gregorio Pontifice inter Cardinales, alioſque eruditissimos viros, ad sacrorum decretorum emendationem selectos adhibitus est, in quo munere ità se gessit; vt eius doctrinæ, & diligentiæ in exquirendis vetustissimis Codicibus ad huius rei eliciendam veritatem, vt ex ipsorum Decretorum præfatione patet, Patres illi plurimum tribuerent. *Ex ipsa deputatione.*

Demum Legatus Romandiolæ eodem Anno MDXXXI. 8. Kal. Nou. declaratus est, in quo munere, vt non auro, sed iustitia, & pietate functum esse posteritati constaret, eiusdem ditionis Populi, erectis lapidibus, quæ extant, sempiterna monumenta posuere. *Ex Regestis breu. Apost.*

Interfuit Comitijs, quibus Pius V. Gregorius xiij. & Sixtus Quintus creati sunt Pontifices. *Ex diarijs præs. cerem.*

Obijt Romæ xvij. Kal. Iunij cum septem tantum horas infirmatus esset anno MDLXXXV. ætatis 48.

Sepultus est ad Sanctam Mariam Maiorem, vbi ad leuam

prope Monumentum, quod Patruo Cardinali, beneficiorum non immemor, prope sacrarium constituerat, extat lapis vna cum ipsius effigie elogio insculptus, quem sibi viuens posuit, Sacello Beatæ Virginis dicato competenter ornato, ac proprio ære sub eius familiæ perpetua nominatione dotato.

Ex ipsius sepulchro. *GVIDO FERRERIVS tit. SS. Viti, & Modesti S. R. E. Presbyter Cardinalis, vt viuenti Patruo Petro Francisco Cardinali, & dignitate, & voluntate coniunctissimus fuit, ita moriens, corpore ab illo noluit abesse, cum quo etiam, summa Dei benignitate fretus, cælesti, ac sempiterna felicitate se fruiturum sperat. Obijt Die xvj. Maij Anno MDLXXXV.*

CII.

IO: FRANCISCVS Bonhomius Nobilis Cremonensis 1536. die 6. Decembris ex Nicolao Bonhomio & Clara Scaligera Brixiense natus, virtute, ac pietate insignis non solutæ modo, sed metricæ orationis maxime peritus fuit.

Initio Pontificatus Pij PP. IIII. à Carolo Card. Borromeo cui percarus erat Romam vocatus ad grauissima negotia in dies pertractanda adhibitus est. Inde per eiusdem Card. cessionem insignis Abbatiæ Nonantul. Comendatarius factus.

Ex ipsius vita apud Ecclesiam. Anno MDLXV. Signaturæ officium, quod per concessum nuncupatur, ab Vgone Boncompagno ad Cardinalatum assumpto dimissum, eidem confertur à Pont.

Ex Tabulis Episc. Anno postmodum MDLXXII. xvij. Octobris per cessionem Cardinalis Guidonis Episcopus Vercellen. creatur, atq; à Carolo Card. S. Praxedis quo maximè expetente Episcopatui præfectus fuerat Dominica quinquagesimæ eiusdem anni Mediolani consecratus est.

Ex ijsdem. Montem Pietatis in Ciuitate erexit.

Ex ijsdem. Synodos xi. celebrauit, plerumque absens propter negotia publica quæ tractabat.

Offi-

Officium Romanum à Clero Vercellen. recitandum Eusebiano, quo vtebatur dempto, curauit.

Concilijs prouincialibus Mediolani quarto & quinto præsens adfuit, & subscripsit, sexto autem per Vicarium generalem cum ipse apud Imperatorem legatione Nuncij fungeretur. *Ex Concil. ipsis.*

Clericos Regulares Sancti Pauli in Vrbem introduxit MDLXXV. eisq; ædes atque Ecclesiam seminarij attribuit. nouis eidem Seminario alibi exstructis. Prioratum demum S. Mariæ de Vezzolano pro eorum sustentatione à Pontif. vniendum curauit. *Ex Regestis breu. Apost.* 1575

Eodem anno ab eodem Pontifice statuendum curat vt Episcopi Vercellen. deinceps in actionibus Episcopalibus sigillo cum immagine S. Eusebij vterentur. *ex ijsdem.*

Chori ædificationem à prædecessore inchoatam, ac Iesuitarum aduentum ab eodem Cardinali pariter procuratũ, pensionis annuæ consensu super fructibus Episcopatus adiuuit. *Ex Tabulis Eccles.*

Sancti Eusebij Corpus inuenit, eiusque translationem solemni pompa celebrare cogitabat, quam tamen iustis de causis omisit. *ex ijsdem.*

Ornauit Ecclesiam cùm viuens, tùm moriens, copiosa, & lauta supellectili, tùm argenti elaborati, tùm serici vestis ad vera Mysteria decentius, aptiusque peragenda, ac demum pretiosissimis vndique Sanctorum Reliquijs summo studio, ac labore collectis. *ex ijsdem.*

Electus est Visitator Apostolicus bis, primum Nouocomen. Dioc. cuius etiam Decreta ædidit; deinde etiam Nouarien. quam tamen diuersis, grauibusque de causis impeditus non visitauit. *Ex ipsis Decretis.*

Ter Nuncius Apostolicus missus est. Primum quidem in Heluetiam, & Rhethiam 1579 Maij. vbi per biennium & vltra Cleri disciplinam correxit. Concilij Tridentini obseruantiam introduxit, Iesuitis Friburgi, Cappuccinis Alturphi locum dedit. *Ex Regestis breu. Apost.*

Deinde ad Imperatorem missus 1581. apud quem triennio Nuntius mansit, quo tempore deponendi Truchsis Archiepiscopi Colonien. cura illi demandata est, cum esset *ex ijsdem.*

per ſummi Pontificis ſententiam priuatus, depoſito etiam præpoſito, & Canonicis eiuſdem ſectatoribus; deditq; operam, vt eius Eccleſiæ Capitulum ad noui Archiepiſcopi electionem conuenirent; quod etiam factum eſt, in perſonam Ducis Herneſti Bauariæ. Paleologum item hæreſiarcam vinctum Romam miſit.

Ex ijſdem. Denique Nuntius in Germaniam inferiorem 1584. iuit, in qua cum per biennium & vltra Eccleſiaſticæ diſciplinæ retinendæ, immo augendæ, operam nauaſſet, & Caputaquen. Epiſcopum Cæſarien. hęreſiarcham captum Romam miſiſſet,
1587 obijt MDLXXXVII. 26. Februarij Leodij., vt ex inſcriptione ſepulchri Epiſcoporum Vercellen. infraſcripta legitur, monte Pietatis herede relicto.

Ex ipſius ſepulchro. *SEPVLCHRVM Epiſcoporum Vercellen. quo Ioann. Franciſcus Epiſcopus pietatis, & Religionis ergo Leodio in inferiori Germania, vbi Nuncius Apoſt. agens animam Deo reddidit ex teſtamento primus delatus eſt Anno Domini MDLXXXVII. Ætatis ſuæ LI. Epiſc. XV.*

Quali porrò ingenio fuerit, abunde teſtantur Carmen inſcriptum, *Borromeus mirabiliter ſeruatus*, aliæq; Epiſtolæ permultæ pietatis, religioniſq; eiuſdem clara monumenta, quas hic inſerere breuitatis cauſa, quam profeſſi fuimus, viſum non eſt.

CIII.

Ex Ciacconio de vitis Cardd. FR. CONSTANTIVS Buccafocus à Patrio loco Sarnanus nuncupatus Prouincia Picenus Anno MDXXXI. Die iiij. Octobris natus, hic x. ætatis annum agens Religionem Sancti Franciſci Conuentualium, depoſito Gaſparis nomine, quo in Baptiſmate fuerat vocatus, amplexus eſt. Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs deditus anno ſuę ætatis 28. Magiſterij Inſignibus decoratus eſt, Peruſij, Patauij, & Romæ vtramque ſcientiam publicè docuit; & publicas Conciones, pietate, & eruditione commendabiles habuit, extant aliquæ eius lucubrationes *Sancti Thomæ*, ſcilicet, *Scoti*

con-

controuersiarum concordantia, *Commentaria in Perfidij Prolegomena*. *Aureolus cum Capreolo conciliatus*, & alia. tandem à Sixto Quinto Pontifice, cui fuerat in priuatis familiarissimus, nil tale cogitans Cardinalis Presb. S. Vitalis pronunciatur [illegible] inter Cardinales, qui sacræ Inquisitioni, & Regularibus præsunt connumeratus, deinde Ecclesiæ Vercellen. Anno MDLXXXVII. Sexta Aprilis ab eodem Pontifice præficitur. 1587

Cum ab octuaginta circiter annis, vt ex ante narratis colligi potest Episcopi Vercellenses commendam quoque S. Stephani habuissent, bonaque Episcopalia, & Monasterij iam non satis distinguerentur. Guido Card. Ferrerius Episcopus, & Abbas existimans membrum quod aiunt Cartranæ ad Abbatiam pertinere Collegium pauperum Pedemontanorum in Ciuitate Taurini illis bonis sustentari piè statuerat, atque à Pontifice vnionem impetrauerat, sed postea cum à Bonhomio Episcopo compertum esset ad Episcopatum membrum illud non ad Abbatiam pertinere, propterea quod Episcopi, qui Abbates non essent eius membri fructibus vt Episcopalibus vsi essent, idemq; multis alijs scriptis apertè probaretur cum Illustriss. & Reuerendiss. Federico Cardin. Borromeo, qui ea tunc bona tanquam S. Stephani Abbas possidebat, egit, vt Episcopatui restituerentur, quod tandem ab illo qua erat pietate, & ad Iustitiam, magis quam ad propriam vtilitatem affectu, rem ita se habere à prudentissimis viris, quibus id negotij posthabitis Iudicij prolixitatibus cum intelligeret, vltro, liberaliterque eadem bona restituit, quod factum demum est huius Cardinalis Episcopi tempore. *Ex Tabulis Epis.*

Anno verò MDLXXXIX. mense Maij Episcopatui, auctoritate Pontificia in Conradi Asinarij fauorem renunciauit relicta suæ pietatis memoria; cum non ita pridem Ecclesiasticum organum ad diuinas laudes & ornamentum Templi faciendum curasset. demum acri morbo correptus obijt vltima Decembris MDLXXXXV. in Aede S. Petri de monte aureo eius tit. sepultus. *Ex Tabulis Ecclesiæ.* 1589

CON-

CIIII.

1590 CONRADVS Nobilis Aſten. Cęſaris Aſinarij, & Violantis Rotariæ filius [redacted], poſt emerſa in varijs Italiæ locis ſtudiorum curricula, à Pio V. Pontifice Ciuitatum Fauentiæ, Imolæ, ac Foroliuij ſucceſſiuè Gubernator renunciatur. Præterea à Gregorio xiij. Pontifice vtriuſque ſignaturæ Referendarius; inde Spoleti, tum Aſculi, demum Romæ in quinquennium Gubernator fuit, Abbatia eidem ab eodem Pontifice Sancti Alberti Dertonen. Dioec. collata, à Sixto V. Gubernator Peruſinus, & Vmbriæ Prouinciæ delectus eſt.

Ex ipſius vita apud Gentiles.

A ſereniſſimo Sabaudiæ Duce ad Magnum Ducem Etruriæ legatus miſſus.

Poſtremo ab eodem Pontifice Sixto per reſignationem Cardinalis Sarnani Vercellen. Epiſcopus declaratus eſt, in quo paucis menſibus ſedit, vix enim Ciuitatem ſolemniter ingreſſus Kal. Auguſti MDLXXXX. morbo corripitur, nec non multo poſt, cum Aſtam Patriam infirmus contendiſſet obijt Anno ætatis LIII. eodem Anno MDLXXXX.

Ex Regeſtis Canc. Ap.

CV.

1590 MARCVS ANTONIVS Vitia Ciuis, & Archipresbyter Aſtenſis, & Prior Secuſię, per obitum Conradi Aſinarij, Epiſcopus Vercellen. Anno MDLXXXX. 13. Auguſti renunciatur.

Huius quoque Epiſcopi tempore cum ijſdem de cauſis, quas ſupra retulimus probatum eſſet redditus Villæ nouæ Aſten. Dioc. ad Epiſcopatum pertinere, Idem Illuſtriſsimus eadem ratione, ac pietate, quam tum diximus, liberaliſsime reſtituit Epiſcopatui Vercellenſi.

Ex Tabulis Epiſcop.

Epiſcopatui ceſſit Anno MDIC.

CVI.

IO: STEPHANVS II. Ferrerius A S. D. N. Clemente VIII. Episcopus Vercellensis declaratur MDIC. 29. Martij.

CATA-

CATALOGVS SANCTORVM, AC Beatorum, qui aut Ciues, aut Episcopi Vercellenses fuerunt, quorum memoria circiter annos infra notatos describitur.

MARTYRES.

300 Sanctus Theocnestus Martyr sub Diocletiano Ciuis, & Tutelaris Vercellensis.
340 Sanctus Eusebius Sardus Episcopus, Martyr, & Patronus Vercellensis.

CONFESSORES.

380 Sanctus Limenius Græcus Episcopus Vercellensis.
390 Sanctus Honoratus Episcopus, & Ciuis Vercellensis.
420 Sanctus Duscolius, siue Celius Episcopus Vercellensis.
435 Sanctus Albinus Episcopus Vercellensis.
450 Sanctus Eusebius Archiep. Mediolanen. Ciuis Vercell.
450 Sanctus Iustianus Episcopus Vercellensis.
470 Sanctus Simplicius Episcopus Vercellensis:
480 Sanctus Lanfrancus Episcopus Vercellen.
500 Sanctus Aemylianus Episcopus Vercellensis.
520 Sanctus Eusebius Secundus Episc. & Ciuis Vercellen.
530 Sanctus Constantius Episcopus, & Ciuis Vercellen.
540 Sanctus Flauianus Episcopus, & Ciuis Vercellensis.
550 Sanctus Vedastus Episcopus Vercellensis.
600 Sanctus Philosophus Episcopus Vercellensis.
600 Sanctus Fortunatus, aliàs Venantius Episc. Pictauien. Ciuis Vercellensis.
601 Sanctus Petrus S. Gregorij magni diaconus.
1010 Sanctus Petrus Episcopus & Ciuis Vercellensis.
.... Sanctus Oricus ordinis Humiliatorum.
1140 Sanctus Gulielmus fundator Monast. Montis Virginis.

BEATI.

. . . . Beatus Antonius de Obſeruantia.
1235 Beatus Arditius Ordinis S. Franciſci, è familia Lignana, cuius corpus requieſcit in Sinigalia vbi obijt.
. . . . Beatus Martinus Ordinis Sancti Auguſtini.
. . . . Beatus Martinus de Sarrata Ordinis S. Franciſci.
. . . . Beatus Adrianus Berzettus.
1512 Beatus Io: Demoſtenes de Ranzo.
1515 Beatus Candidus de Ranzo.

BEATAE.

. . . . Beata Bruna Ordinis Humiliatorum.
1300 Beata Vgulina, quæ obijt apud S. Mariam de Bethlem extra Ciuitatem Vercellen.
. . . . Beata Aemilia Biccheria Ord. Sancti Dominici.

DESCRIPTIO DIOECESEOS VERCELL.

iuxta præsentem statum, quæ olim quidem amplior multo fuit, quemadmodum ex beneficiorum censuaria tabella, quæ adhuc extat, colligi potest, sed hoc tempore angustior est, præcipue ob erectionem Ciuitatis Casalis S. Euasij in Episcopatum; quæ Ciuitas cum tota fere Diœcesi ex Vercellen. à summo Pontifice Sixto Quarto adempta est, vt supra suo loco significauimus.

Ecclesiæ seculares sunt num. 576.

Ex quibus.

Cathedr. & collegiatę. n.	8	Oratoria disciplinator.	85
Parochiales	195	Clericorum.	2
Simplices, & oratoria.	298		

Ex Clero seculari Dignitates.

Archidiaconatus.	1	Prioratus	13
Archipresbyteratus.	1	Tesaurarij.	2
Præpositurę.	15	Plebani.	11
Maioratus.	3		

Graduati.

Abbates.	5	Iurisconsulti.	8
Prothonotarij Apost.	6	Canonistæ.	2
Theologi.	8		

Reliquus Clerus secularis.

Canonici.	75	Beneficiati.	16
Parochi.	198	Sacristæ, & Custodes.	15
Vicec. & adiutores paroch.	16	Clerici in Seminario.	30
Capellani, & clerici tit.	267	Clerici extra Collegia.	157
Capellani mercenarij.	50	Incedentes in habitu.	48

Ciuitas Vercellarum habet Parocchiales Eccleſias 13. videlicet.

S. Euſebij.
S. Mariæ Maioris
S. Michaelis.
S. Thomæ.
S. Laurentij.
S. Iuliani.
S. Agnetis.
S. Gratiani.
S. Iacobi.
S. Saluatoris.
S. Bernardi.
S. Lucæ.
S. Donati.

Diæceſis diuiditur in 17. Vicariatus videlicet Vicariatus Bugellæ.

Qui diuiditur iu duas Congregationes, quarum alteri præſidet Vicar. Foraneus Bugellæ, alteri vero Præfectus ab Epiſcopo protempore deputatus.

Congregatio vna conſtat ex Parochis 16. videlicet.

S. Iacobi de Platio	*Bugellæ*	S. Euſebij	*Muzzani*
S. Steph de Plano	*Bugellæ*	S. Fidei	*Graliæ*
S. Blaſij de Vernato	*Bugellæ*	S. Ambroſij	*Sordeuoli*
S. Anton. de Barazia	*Bugellæ*	S. Euſebij	*Poloni*
S. Laurentij	*Ponderani*	S. Laurentij	*Montis grandi*
S. Stephani	*Occlepi ſup.*	S. Martini	*Salæ*
S. Antonini	*Occlepi inf.*	S. Mariæ	*Nettri*
S. Martini	*Camburzani*	S. Petri	*Donati*

Congregatio altera ex Parochis 13.

S. Grati de Coſila	*Bugellæ*	zurna	*Andurni*
S. Marię de Pace de Prato longo	*Bugellæ*	SS. Fabiani, & Sebaſt. de Sagliano	*Andurni*
S. Germani	*Tolegni*	S. Bern. de Valle	*Andurni*
S. Laurentij de Ca-		SS. Trinit. de Tauig.	*Andurni*

S. Mariæ

S.Mariæ Angelorum de Calabiana. *Andurni*
S.Grati Comendone *Bedulij*
S.Io:Bap.de Veglio *Moxi*
S. Mariæ *Moxi*
SS.Fabiani, & Sebastiani *Zumaliæ*
Assumpt. B.Virginis Clauaxie. *Bugellæ*

Vicariatus, & Plebs Oppidi Sanctæ Agathæ constat ex Parochis x. videlicet

S. Agathæ Prep. *Opp.S.Agat.*
S. Germ. Præp. *Opp.S. Germ.*
SS.Petri, & Pauli *Tronzani*
S. Petri Pleban. *Crouæ*
S. Eusebij *Viancini*
SS. Quirici, & Iulitæ *Olcenengi*
S. Georgij *Vettognati*
S. Martini Pleb. *Casanouæ*
S. Mariæ *Nibioni*
S. Laurentij *Carisii*

Vicariatus, & Plebs Messerani ex Parocchis 12.

Colleg. Assumpt.B. Virg. vbi habentur Parochi duo. Præp. *Messerani*
S. Petri *Brusnegi*
S. Martini *Curini*
S. Mariæ *Curini*
S. Nicolai *Curini*
S. Eusebij *Rouasii*
S. Mauritij Rouasii
S. Mariæ Rouasii
S. Mariæ *Vilæ*
S. Bartholomæi *Mortilengi*
S. Laurentij *Lexonæ*

Vicariatus, & Plebs Crepacorij ex Parocchis 8.

S. Mariç *Crepacorij*
S. Mariæ *Postuæ*
S. Ambrosij *Flecchiæ*
S. Martini *Serrauallis*
S.Eusebij *Vintebij*
S. Georgij *Cozzolæ*
S, Quirici *Triuerij*
S. Laurentij *Sostegni*

Vicariatus Gattinariæ ex Parocchis 5.

S. Petri Præp. *Gattinariæ*
S. Georgij *Lozzoli*
S. Petri *Lentæ*
S.Mauritij Rouasende
S. Iacobi *Capsinar.S.Iac.*

VICA-

Vicariatus, & Plebs Cossati ex Parocchis 12.

S.Mariæ Pleban. *Cossati*
S. Thomæ *Cerreti*
S. Martini *Quareniæ*
S. Mariæ *Bedulij*
S. Nicolai *Bedulij*
S. Michaelis *Bedulij*
S.Stephani *Bedulij*
SS. Ant.& Bern. *Crucis Moxi*
S. Eusebij *Ternengi*
S. Michaelis *Ronchi*
S. Mariæ *Viliani*
S. Thomæ *Valdengi*

Vicariatus, & Plebs Candeli ex Parocchis 10.

S. Laurentij *Candeli*
S. Petri *Candeli*
S.Petri *Gaglianici*
Assumpt.B.Virg. *Sandiliani*
S. Sulpitij *Borrianæ*
S. Georgij *Vergnaschi*
S. Laurentij *Veroni*
S. Petri *Benæ*
S.Marię *Massatiæ*
S.Petri *Castellengi*

Vicariatus,& Plebs Saluzzoliæ ex Parocchis 11.

Collegiatæ Assumpt.B.Virg. Pleban. *Saluzzoliæ*
Annunc.B.Vir. *Magnaneuoli*
S.Io:Baptistæ *Cerridoni*
S. Nicolai *Zublenæ*
S. Blasij *Magnani*
S. Georgij *Zimoni*
S. Laurentij *Dorzani*
S. Michaelis Pleb. *Cabaliacæ*
Vbi habetur Plebanus cum duobus coadiut. titularib. pro animar. regimine.
Sanctorum Cosmi & Damiani. *Loci S.Dam.*

Vicariatus Mottæ Alciatorum ex Parocchis 10.

Sanctorum Vincentij & Anastasij *Mottæ Alciator.*
Sanctæ Mariæ de Buzzolina *Mottæ Alciator.*
S.Cassiani *Villanouæ Mass.*
S.Martini Pleb. *Gisienghæ*
S. Petri Prioratus *Castelletti*
S.Thomæ *Castelletti*
S. Abundij *Buruntij*
S. Antonij *Bastitæ*
S.Michaelis Præp. *Badaloci*
S.Victoris *Formignanæ*

Vica-

Vicariatus Montis Caprelli ex Parocchis 5.

S. Euſebij Maiorat. *Montis Caprelli*
S. Aemiliani *Ciliani*
S. Michaelis *Burgialicis*
Aſſumpt. B. V. *Viueroni*
S. Michaelis *Roppoli*

Vicariatus, & Plebs Creſcontini ex Parocchis 8.

Aſſumpt. B. Virg. Pleban. *Creſcentini*
S. Bernard. *De S. Bernardino*
S. Chriſanti *De S. Chriſanto*
S. Bernardi *Lamporij*
S. Iannuar. Abbat. *S. Ianuarij*
S. Io: Bapt. Pleb. *Verucæ*
S. Petri *Colegnæ*
S. Sebaſtiani *Reolij*

Vicariatus, & Plebs Coconati ex Parocchis 12.

Concept. Beatæ V. Præpoſit. *Coconati*
S. Mariæ Nouæ *Marmoriti*
SS. Mariæ & Petri *Paſſerani*
S. Antonij *Aramengi*
S. Bartholomei *Coconiti*
SS. Andreæ & Euſ.
Præp. *Caſtri Noui Aſt.*
S. Petri *Caſtri Noui Aſt.*
S. Petri *Scalarani*
S. Euſ. Pleb. *Robellæ*
Decol. S. Io: Bapt. *Primelij*
S. Petri *Toffi*
S. Georgij *Broſoli*

Vicariatus Salæ ex Parocchis 11.

S. Deſiderij *Salæ*
S. Clementis *Montonarij*
S. Saluatoris *Caſalis rubei*
Aſſumptionis B. Virginis. *Larizzati*
S. Germani *Lignanæ*
SS. Petri Mauritij, & Alexan. Præp. *Decianæ*
S. Laurentij *Ronſici*
Natiuitatis Beatæ V. Præp. *Venariæ*
S. Iacobi Maioris *Salaſchi*
Aſſumptionis B. Vir. *Siluæ*
S. Iacobi *Capſinar. ſtratæ*

Vicariatus, & Plebs Albani ex Parocchis 11.

Aſſumptionis Beatę Virginis Plebania *Albani*

S. Ste-

S. Stephani *Gregij*
S. Martini *Arborij*
Assumption. B.V. *Arborij*
S. Mariæ *Gislarengi*
S. Andreæ *Montisformosi*
S. Petri *Vallarboiti*
S. Georgij *Collobiani*
SS. Naz. & Celsi *Quinti*
S. Cæciliæ *Carezzanæ*
S. Laurentij *Oldenici*

Vicariatus Stroppianæ ex Parocchis 9.

S. Michaelis *Stroppianæ*
SS. Matth. & Geor. *Caresanæ*
Annunc. B. Virgin.
Decoll. S. Io. Bapt. ac SS. Antonij & Cather. *Mottæ Comit.*
Assumpt. B.V. *Riparum*
S. Germani *Pertengi*
S. Martini *Costantianæ*
Natiu. B. Virg. *Auxiliani*
S. Eusebij *Petianæ*
Assumptionis B. Virginis *Pradarolij*

Vicariatus Rodobij ex Parocchis 12.

S. Steph. Præp. *Rodobij*
S. Lauren. Pleb. *Conflentiæ*
Assumpt. B.V. *Vinzalij*
S. Martini *Palestri*
S. M. de Cast. *Castrinoueti*
S. Georgij *Castrinoueti*
SS. Petri, & Mich. *Cerpenchij*
S. Victorini Præp. *Cocij*
S. Mariæ Gratiar. *Candiæ*
S. Io. Bap. *Villatæ candiæ*
S. Martini *Languſci*

Vicariatus Blandrati ex Parocchis 10.

Collegiatæ S. Columbrani Præp. *Blandrati*
S. M. ad Niues *Capsinalij*
S. Dominici *Recetti*
SS. Naz. & Celsi Abbat. *S. Nazarij*
